



CARTAS
PASTORALES


6

UNIVERSIDAD DE LA CROZIA
BIBLIOTECA

B I / 8







Piezas que contiene este volumen.

Doctrinam veteris Ecclesie de suprema regum etiam in Clericis potestate.

Breve de N. M. S. P. Pio 6.º para que los Arzobispos, Obispos y Abades, u ordinarios que dan dispensar la gracia à los fieles Cristianos de España è islas Canarias, para comer de Carne en las Quaresmas.

Extracto certificado de lo mas substancial que resulta de la Causa seguida por la Comision militar de las islas Canarias sobre averiguar el contenido de un anonimo y pertenencias de unas insignias Masonicas que aparecieron colgadas de un balcon de la Casa de D. Nicolas Massieu de Vandala, en la isla de la Palma. 1825.

El tirano de la Europa Napoleon 1.º. Manifiesto que à todos los pueblos del mundo y principalmente à los españoles presenta el Lic.º D. J. A. C.

Carta pastoral del D.º D. José Hilario Martinon, gobernador del Obispado de Tenerife. 1821.

Id. del Exmo.º y Illmo. Sr. D. Manuel Joaquin Taraucon y Moron, Obispo de Córdoba. 1853.

Testimoniales y relacion de meritos y servicios del Presb.º D. Camilo Mojou y Sotres. 1851.

Carta pastoral del Illmo. Sr. D. Buenaventura Codina, Obispo de Canarias. 1851.

Id. del Exmo. Sr. D. Francisco Javier Cienfuegos y Jove-Slanon, arrobispo de Sevilla 1833.

Id. del Illmo. Sr. Presidente y Cabildo de la Sta. Iglesia Catedral de Canaria. 1822.

Id. del Gobernador del Obispado de Tenerife. 1822.

Comunicado sobre repartimiento de Contribuciones en el pueblo del Realjo año 1860.

Manifiesto que sobre elecciones de Diputados à Cortes, publica D. Rafael Lorenzo Garcia, vecino de Canaria. 1858.

Calamitous inundation and hurricane at the Canary islands, and appeal to British beneficence. 1827.

Instruccion para el régimen de los habilitados de los participes del presupuesto eclesiastico en las provincias. 1855.

Lista de los Sv̄s. Congregantes del numero de la Ilustre Congregacion del Cingulo de Sto. Tomas de Aquino, existentes hasta el 5 de Mayo de 1825.

Método curativo del Colera Morbo.

Manifiesto à los españoles del Duque de la Victoria. 1811.

Noticia de la edicion de las Obras de S. Martin de Leon.

Traduccion de los Breves expedidos por la Silla Apostolica referentes à la disciplina Monastica &c.

Carta circular del Vicario general del Orden de Predicadores Sr. Ramon Guerrero, sobre la aprobacion del culto del B. Simon Ballagui, por el Sto Padre. 1820.

Id. del General de la misma orden Sr. Joaquin Boris, sobre el establecimiento en las islas Filipinas de un Colegio Seminario de Misiones. 1830.

Id. id. de Sr. Ramon Guerrero, participando su nombram^{to} de Vicario general de la Orden de Predicadores. 1815.

Id. id. del mismo, referente à desobediencias cometidas por el Provincial de Andaluçia &c.

Id. id. del mismo, sobre la Beatificacion de V. Sr. Fran^{co} de Posadas. 1818.

Id. id. del General de la misma Orden Sr. Baltasar de Quinones, sobre coleccion Pre-
ligiosos para la Provincia de Casaca en America. 1794.

Id. id. de Sr. Pedro Juan de Molina, general de la Orden de S. Francisco, sobre la Indul-
gencia plenaria concedida por el St. P. Clemente 13.º. 1766.

Carta circular de Sr. Juan Perer, Provincial de España de la Orden de Predicadores, sobre obedecer, amar, y respetar al Rey. 1767.

Yd. id. de Sr. Alonso Victorero, Provincial de Castilla, de la Orden de S. Agustín, sobre el extrañamiento de los regulares de la Compañía de Jesus. 1767.

Yd. id. de Sr. Malachias Saez, general de la Orden de S. Bernardo, sobre lo mismo. 1767.

Yd. id. de Sr. Juan Perer, provincial de España, del Orden de Predicadores, sobre id. 1767.

Yd. id. del Prior general del Orden de S. Agustín, sobre lo mismo.

Yd. id. de Sr. Rafael Ontanilla, Procurador general del Orden de S. Domingo, sobre la colectación del Subsidio extraordinario de 30 millones que deben pagar todos los Conventos de Castilla. 1820.

Yd. id. de Sr. Alonso Victorero, Provincial de Castilla, del Orden de S. Agustín.

Carta encyclica del P. General de la Orden de S. Agustín.

Carta del M. D. Bartolomé Barreneche, general de Premonstratenses.

Yd. del P. Antonio Mourin, Provincial de Toledo de la Compañía de Jesus.

Yd. de Sr. José Casanovas, Provincial de Aragon, Orden de Predicadores.

R. Cedula de S. M. concediendo amnistia. 1832.

Carta de Sr. Francisco Usagre, general del Orden de Predicadores.

Yd. de Sr. Vincentius Bernardos Luvós, Provincialis Bæthiæ.

Yd. de Sr. Joaquin Briz, general del Orden de S. Domingo.

Yd. id. id.

Yd. id. id.

Yd. id. id.

Yd. id. id.

Yd. id. id.

Yd. id. id.

Carta de Fr. Joaquin Briz, general del Orden de Sto. Domingo.

Id. de Fr. Joannes Thomas de Boxadors, generalis ejusdemque Ordinis.

Id. Fr. Vincentius Bernardos de Quirós, provincialis Beticæ ejusdem ordinis.

Id. de Fr. Franc.^{to} de Armas, provincial de Canarias, de la misma Orden.

Quadraginta novem Martyribus Sandominiensibus, ordinis Predicatorum.

Discurso inaugural sobre la importancia de los estudios Teológicos, pronunciado el 7 de Enero de 1866 en el Seminario de Sevilla por el D.^o D. José de Torres y Padilla.

Carta Pastoral del D.^o D. José Hilario Martiñon, gobernador del Obispado de Tenerife. 1821.

Circular del ^{4to} Sr. D. Judas José Plomo, Obpo. de Canaria 1865.

Id. del Ministro de gracia y justicia prohibiendo la circulación de varias profesías y revelaciones de algunas Peligiosas sobre el regreso de los Regulares de la Compañía de Jesus. 1767.

Carta circular del Provincial de Tragon à las Peligiosas del Orden de Sto. Domingo.

Singulares virtudes de la Piedra quadrada que es de color de hierro.

Salomon's song, translated from the hebrew, by the R. Bernard of Hodgson.

JOSEPHO I.

LUSITANORUM REGI FIDELISSIMO,

AUGUSTO, INVICTO, PIO,

DOCTRINAM VETERIS

ECCLESIAE

DE SUPREMA REGUM ETIAM IN CLERICOS POTESTATE,

Ex Sacris Litteris, Sanctis Patribus, Incorruptisque
priorum sæculorum Monumentis depromptam,

ET TUM RECENTIORUM THEOLOGORUM SUFFRAGIIS,

TUM CHRISTIANORUM PRINCIPUM EXEMPLIS ILLUSTRATAM,

DEDICAT ET CONSACRAT

ANTONIUS PERERIA

Congregationis Oratorii Olisiponensis Presbyter ac Theologus:

QUO DUCE AC PRÆSIDE,

Eandem Doctrinam publice jam propugnavit

JOACHIMUS COSTIUS

Presbyter Ejusdem Congregationis,

A P U D

B. V. MARIAM DE NECESSITATIBUS,

Mane & Vespere, Die XV. Novembris, Anno M. DCC. LXV.

SECUNDA EDITIO

Tertiam ferè partem auctior, & per omnia emendatior.

OLISIPONE,

Apud MICHAELEM RODRIGUEZIUM,

Eminentissimi Cardinalis Patriarchæ Typographum.

M. DCC. LXVI.

Cum bonâ Superiorum veniâ.



Non dedecori ducimus, quod Theologi Christianique jura Regia defendimus, non tam ut jura Regia, quam ut Christi placita: Christi, inquam, placita, Rempublicam ordinantis, tranquillantis Imperium, ut Ecclesia in Imperio futura jam à seditionibus libera melius Deo serviat: nec placet Religionis specie Regna pessundari, quibus Religio tutelæ esse debeat. Jacobus Benignus Bossuetus Episcopus Meldensis Lib. VI. Defens. Declarat. Cler. Gallican. Cap. 29.



AD REGEM FIDELISSIMUM
DEDICATIO.

Jura Maiestatis, Rex Augustissime, aliter miles;
aliter Theologus tueri debet: ille quidem ferro, hic
vero calamo: ille gladio, hic stilo: ille pugnando, per-
cutiendo, maectando: hic scribendo, differendo, argu-
mentando. Nescit Christi militia arma ferrea, uno sci-
licet Dei verbo contenta: quod tamen, ut ait Apostolus,

penetrabilius est omni gladio ancipiti. His armis debi-
tam Regibus Summisque Principibus obedientiam adseruere
Sancti Apostoli eorumque successores : his tuta ab insi-
diis Regum capita reddidere Sacrosancta Concilia : his
Principum eorundem supremam nullique obnoxiam pote-
statem egregie propugnarunt, ut alios præteream, summi
in Gallia Antistites iidemque Theologi nobilissimi Ægi-
dius de Columna Ordinis Eremitarum Sancti Augustini
Archiepiscopus Bituricensis, Petrus de Marca Archiepis-
copus Parisiensis, Jacobus Benignus Bossuetus Epis-
copus Meldensis : quo uno suffulta tibicine, etiam si alii
deessent, firma atque immobilis adversus omnes Trans-
montanorum Theologorum machinas æternum perstaret
Maiestas Regum. Cum tamen extremis hisce temporibus
plures extiterint qui pennâ, quàm qui ferro Sacrosanctas
Regum Personas violare sint ausi : nam Joannes Ma-
riana Societatis Jesu Theologus scribere non dubitavit,
licere tribus in casibus privata auctoritate malos Re-
ges occidere : Decretum enim Sancti ac Generalis Con-
cilii Constantiensis, quo tamquam hæretica damnatur illa
doctrina, nec a Martino V. nec ab Eugenio IV. nec
ab ullo alio Romanorum Pontificum confirmatum
esse. Antonius vero Sanctarellus ex eadem Societate
scripto etiam persuadere conatus est, Apostolos Princi-
pibus sæcularibus subiectos fuisse de facto, non de
jure : quin etiam statim atque constituta est Pontificia
Maiestas, cœpisse omnes Principes esse illi obnoxios.
Quæ opinionum portenta, vel potius monstra, quantas
clades Summis Principibus totique Reipublicæ Chri-
stianæ attulerint ; nuper Gallia, nuperrime Lusitania
experta est, pari bonorum civium dolore, ac Regnorum
florentissimorum damno. Cum igitur, inquam, nostrâ
& patrum memoriâ tam multi extiterint Regum hostes,
tam multi religionis prætextu impie & perniciosissime
furiosi : dignum ego Theologo Christiano, dignum ho-
mine Lusitano opus me facturum existimavi, Rex Au-
gustissime ; si ex antiquis Patribus incorruptisque Ec-
clesiasticæ Historiæ monumentis ostenderem atque in bono
lumine collocarem, quæ mens ac sententia fuerit veteris
Ecclesiæ de Regibus Summisque Principibus, deque eorum
digni-

dignitate & auctoritate. Sic enim futurum judicavi, ut quibus hodiernæ consuetudines hodiernaque jura tot Regum Catholicorum minus probantur; eos certe moveret antiqua traditio à prioribus illis & purioribus sæculis per tot Episcopos ac Doctores ad nos usque transmissa. Ubi enim semel constiterit, non aliam de Regibus regiaque potestate mentem fuisse primis Christianis, quàm quæ hodie Lusitanis, dudum vero Gallis Theologis placet: neminem puto præjudicatarum opinionum adeo tenacem fore, ut nostris placitis refragari aut litem movere audeat. Sic igitur velim, Rex Augustissime, opus hoc meum æstimes; ut simul pro certo habeas, agi in eo causam Ecclesiæ, cum Tua agitur: nec minorem me operam posuisse, ut de Ecclesiastica Potestate, quàm ut de Regia Dignitate fierem benemeritus. Cum enim, ut Optatus Milevitanus ait, non Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia sit in Republica: ille utique Ecclesiæ securitati sapienter consulit, qui Regis Auctoritati consulit: sine qua nimirum neque publica tranquillitas, neque ipsius Ecclesiæ dignitas ac splendor conservari potest. Nulla vero me cupido humanæ laudis, nullum placendi studium, nulla adulandi consuetudo ad scribendum compulit, Rex Augustissime. Norunt omnes, qui me norunt, ab his vitiis multum abesse me, qui veritatis causâ scilicet multis displiceo. Veritatis amor, æquitas causæ, publica utilitas, insita denique Lusitanis pectoribus observantia & pietas in Reges suos omnes, ac potissimum in Te, quem ut religiosissimum ac clementissimum, & vere optimum Principem efflictim amamus: hi utique mihi ad scribendum auctores, ea incitamenta fuere. Sic enim à natura comparati sumus, quotquot Lusitani sumus, ut nobis carior sit dignitas Regis nostri, quàm vita nostra: carior incolumitas Maiestatis, quàm nostrum omnium salus: ut jure merito gloriari possis, tot Te habere milites, quot subditos. His doctrinis naturâ veluti magistrâ imbuti, Te, ut Tertulliani verbis utar, Regem nobis à Deo datum sic colimus, quomodo & Tibi expedit, & nobis licet: ut hominem à Deo secundum, & quidquid es, à Deo consecutum, & solo Deo minorem.

PRÆ-

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines. There are several small dark spots and a larger yellowish stain on the page, likely due to age or handling.

PRÆFATIO

PRIMÆ EDITIONIS.

SI Theologi hodierni in tuendis Regum juribus tantum operæ, tantumque studii posuissent, quantum Canonistæ post editas Decretales in amplificando Sacerdotio posuere: non eò adducta res esset, ut Doctorum sive ignorantia sive socordia in re omnium gravissima miserandum in modum hæreret, immo perniciosissime cæcutiret christiana plebes. Quid enim Reipublicæ magis necessarium, quam nosse unumquemque, quid Regi suo debeat? Quid contra publicæ tranquillitati magis inimicum, quam si quis Regnum cum Sacerdotio, vel Sacerdotium cum Regno confundat? Ergo nostrorum hominum & avitæ pietati & præjudicatis opinionibus consulentes, dabimus diligenter operam, ut ad sensum veteris Ecclesiæ demonstramus, qualem ideam de Rege ejusque dignitate & auctoritate etiam in Clericos efformare animis subditi debeant. Sunt quidem eâ de re luculentissima testimonia Sacrarum Litterarum: ut illa Christi Domini apud Lucam XII. 14. *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* & apud Joannem XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et illa Pauli Apostoli ad Romanos XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et ad Timotheum II. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Sed cum ex unâ parte omnia hæc Scripturarum loca vanis captiosisque interpretationibus eludere ii soleant, qui rem theologiam non antiquorum Patrum doctrinis, sed novitiis Romanorum Pontificum gestis privatisque opinionibus metiuntur: ex altera vero parte germanus sensus verborum divinatorum non aliunde melius innotescat, quam ex maiorum Traditione: nos Scripturis prætermisissis, sola Traditione rem agere statuimus. Ut autem voti
respon

respondeat exitus, sententias ac doctrinas omnes eo ordine disponemus, ut singulas Propositiones nostras singulæ de Ecclesiastica antiquitate Probationes è vestigio subsequantur. Ubi autem eadem Propositiones aliquid enuntiabunt, quod sanioris Theologiæ candidatis paulo durius aut insolentius videri possit: id mox subiectis Catholicorum Doctorum suffragiis, nonnumquam etiam Christianorum Principum exemplis adhibitis, pari diligentia enodandum curabimus.

PRÆFATIO SECUNDÆ EDITIONIS.

IN priori editione propositum nobis fuerat *Doctrinam Veteris Ecclesiæ de Suprema Regum etiam in Clericos Potestate* ex sola Maiorum traditione demonstrare. Nunc tamen quorundam imbecillitati sive ignorantia consulescentes, Sacrarum Scripturarum Loca quædam adjungenda duximus, quæ & ex sese planissima sunt, & firmandis Propositionibus nostris videntur aptissima. Sunt enim nonnulli, qui nihil certum indubitatumve in re theologica arbitrantur, nisi quod viderint luculentissimo aliquo Scripturæ testimonio comprobatum: quasi vero exploratum non sit apud omnes Theologos, multa in dies divina fide credenda ab Ecclesia definiri, quæ nusquam in Sacris Litteris inveniuntur. Ad denda præterea judicavimus insignia quædam testimonia sive antiquorum Patrum, sive Conciliorum, sive Theologorum; quæ cum doctrinas nostras mirifice illustrent, in priori tamen editione fuerant propter festinationem prætermissa.

DOCTRINA VETERIS ECCLESIAE

DE SUPREMA REGUM ETIAM
IN CLERICOS POTESTATE.

PROPOSITIO I.

Regia Potestas Deum habet auctorem & institutorem.

LOCA SCRIPTURARUM.

Sapientiae VI. 2. & 4. *Audite ergo Reges, & intelligite, quoniam data est a Domino potestas vobis.* Joan. XIX. 11. *Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de super.* Ubi legitimam & a Deo ortam potestatem etiam in Pilato agnoscit Christus Dominus, ut mox etiam ex Augustino & Bernardo audiemus.

Lucæ XX. 25. *Ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Hic etiam Tiberii Cæsaris legitimum imperium confirmat Jesus, dum in eo Principe licet improbissimo, jus agnoscit & cudendæ monetæ & tributorum exigendorum. Confer Marcum Lib. II. cap. 5. num. 5. & Bossuetum lib. I. sect. II. cap. 14.

Ad Rom. XIII. 1. *Non est potestas nisi a Deo: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

SANCTUS Irenæus Episcopus Lugdunensis Lib. V. Cap. 24. *Ad utilitatem gentilium terrenum Regnum positum est à Deo, ut timentes Regnum hominum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam: & secundum hoc Dei sunt ministri, qui tributa exigunt à nobis in hoc ipsum servientes.*

Et quæ sunt potestates, à Deo ordinatae sunt. Rursus ibidem: *Cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur.*

Tertullianus Africanæ Ecclesiæ Presbyter in Apologetico Cap. 30. *Sciunt Imperatores qui illis dederint imperium: sciunt qui homines, quis & animam. Sentiunt eum esse Deum solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi.* Rursus ibidem. *Inde Imperator, unde & homo, antequam Imperator: inde potestas illi, unde & spiritus.*

S. Epiphanius Episcopus Salaminæ Hæresi XL. num. 4. *Videtur, ut hæc mundi potestas à Deo stabilita sit, gladiique jus obtineat? Neque vero id aliunde, quam à Deo ad vindicandum accipit.*

S. Joannes Chrysostomus Hom. XXIII. in Epist. ad Romanos.

Quod 686.

Quod Principatus sint, & quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc & inde circumactis, divina esse sapientie dico. Ideo dixit Apostolus: Non est potestas, nisi a Deo. Rursus ibidem: Quia illa honoris equalitas bellum saepe inducit, multos fecit principatus, multasque subiectiones, ut viri & mulieris, filii & patris, senis & juvenis, servi & liberi, principis & subditi, doctoris & discipuli.

Peluf. pag.
223.

S. Isidorus Pelusiota Lib. II. Epist. 216. *Potestatem, hoc est, Imperium & Regnum à Deo formatum atque institutum esse profitemdum est, ut ne ornatus in statum inornatum degeneret.*

Theod. T.
III. pag.
100.

Theodoretus Cyrensis Episcopus in Epist. ad Rom. *Deus communis ordinis curam gerens hos quidem imperare, illos vero parere instituit; veluti quoddam frenum iis, qui injuste agunt, imperantium timorem incutiens.*

August. T.
IV. P. II.
pag. 138.

S. Augustinus Episcopus Hipponensis Lib. V. de Civit. Dei cap. 25. *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno Cælorum solis piis, regnum vero terrenum & piis & impiis. Et paulo post: Qui Augusto imperium dedit, ipse & Neroni: qui Vespasianis suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostata Juliano.*

Tom. IV.
pag. 795.

Idem Tractatu CXVI. in Joan. num. 5. *Ubi non respondebat; sicut ovis silebat: ubi respondebat, sicut pastor docebat. Discamus ergo quod dixit, quod & per Apostolum docuit, quia non est potestas nisi a Deo; & quia plus peccat, qui potestati innocentem occidendum livore tradidit, quam potestas ipsa si eum timore alterius maioris potestatis occidit. Talem quippe Pilato Deus dederat potestatem, ut etiam esset sub Cesaris potestate. Qua propter non haberes, inquit, adversum me potestatem ullam, id est, quantulamcumque habes, nisi hoc ipsum, quidquid est, tibi esset datum desuper.*

Concil. T.
IX. pag.
753.

Concilium Parisiense anno 729. celebratum Lib. II. cap. 29. *Nemo Regum à progenitoribus Regnum sibi administrari, sed a Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit: Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.*

Concil.
Gall. Tom.
III. pag.
539.

Concilium apud Trosleium an. 909. tempore Caroli Simplicis, cap. II. *In quo factò Pontificalem sic exerimus auctoritatem, ut non obliviscamur regiam a Deo constitutam esse sublimitatem, dicente Apostolo: subiecti estote Regi quasi præcellenti.*

Bernard.
T. I. pag.

S. Bernardus Clarævallis Abbas in Libro de Officio Episcoporum Cap. IX. *Sacralitatem contemnit? Sed secularior nemo Pilato, cui Dominus adstitit iudicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Jam tunc per se loquebatur & in se experiebatur, quod post per Apostolos clamavit in Ecclesiis: Non est potestas nisi a Deo. Et, Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

Ubi illud quoque obiter observandum, Bernardum in suis Codicibus legisse, *nisi tibi data esset*, nempe potestas. Quo modo eundem Joannis locum cum MSS. Corbeiensibus legunt Patres Latini plerique: in his Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Cassiodorus, Gaudentius Brixienis, alique à Sabatierio Benedictino citati in Notis ad hunc locum Tomo III. pag. 479.

PROPOSITIO II.

Obiectum Regiæ Potestatis sunt ea omnia, quibus civilis Societas, ut civilis est, eique annexa temporalis hominum felicitas atque tranquillitas continetur.

LOCA SCRIPTURARUM.

Jerem. XXII. 1. & 3. *Descende in domum regis Juda & dices: Hæc dicit Dominus: Facite iudicium & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & advenam & pupillum & viduam nolite contristare neque opprimatis inique: & sanguinem innocentem ne effundatis.*

II. ad Timoth. II. 1. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

SANCT. Irenæus Lib. V. Cap. 24. *Quoniam absistens à Deo homo in tantum efferavit, ut etiam consanguineum hostem putaret, & in omni inquietudine & homicidio & avaritia sine timore versaretur: imposuit illi Deus humanum timorem (non enim cognoscebant timorem Dei) ut potestati hominum subiecti & lege eorum adstricti aliquid assequantur justitiæ, & moderentur ad invicem, in manifesto propositum gladium timentes, sicut Apostolus ait: Non enim sine causa gladium portat: Dei enim Minister est.*

Iren. pag.
321.

S. Hieronymus Presbyter Commentariis in Jeremiam Cap. 22. *Regum officium est proprium facere iudicium & justitiam & liberare de manu calumniatorum vi oppressos: & peregrino, pupilloque & vidua, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. Referatur etiam à Gratiano P. II. Causa XXIII. Quæst. V.*

Hieron-T.
III. p.628.

S. Joannes Chrysostomus Homil. XXIII. in Epist. ad Roman. *Hæc magistratum vita est, hoc studium, ut pace fruaris. Ideo in alia epistula non solum illis subditos esse, sed etiam pro ipsis precari jubet, ut placidam & quietam vitam agamus. Paulo ante hæc idem præmiserat: Si illos auferas, omnia abscedent, nec civitates, nec vici, nec domus erunt: non forum, non aliud quidpiam stabit: sed omnia subvertentur, potentioribus inferiores devorantibus.*

Chrysoft.
T. IX. pag.
689.

S. Isidorus Pelusiota Lib. II. Epist. 216. *Quoniam qui dignitate pares sunt, bellum plerumque excitare solent: idcirco populare imperium Deus minime esse permisit, sed Regnum. Siquidem ubique molestissima res est, sublatio principatus, confusionisque ac perturbationis causa.*

Peluf. pag.
223.

Concilium Parisiense supra memoratum Lib. II. Cap. 2. *Regale*
a ii
minif-

Concil. T.
IX. pag.
750.

Concil.
Gall. Tom.
II. pag.
587.

⁴
ministerium specialiter est populum Dei gubernare & regere cum equitate & iustitia, & ut pacem & concordiam habeant studere.
Eadem totidem verbis docet Concilium Aquilgranense II. an. 836. Cap. III. can. 3.

PROPOSITIO III.

Legibus conservandæ Societatis humanæ non minus obstringitur Ecclesia, quàm Respublica.

LOCA SCRIPTURARUM.

- Ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illis. Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*
- Ad Tit. III. 1. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.*
- I. Petri II. 13. *Subiecti estote omni humane creature propter Deum: sive regi quasi præcellenti: sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Optat. pag.
56.

SANCT. Optatus Episcopus Milevitanus Lib. III. de Schismate Donatistarum Cap. 3. *Jam tunc meditabatur Donatus, contra præcepta Apostoli Pauli, potestatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Non enim Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, id est, in Imperio Romano. Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in Notis ad hunc Optati locum: Respublica non est in Ecclesia, est Ecclesiam non facere bella, non leges figere, non populos sub legibus coercere, non res civiles exercere, & similia. Ecclesiam autem esse in Republica, Christianos sub legibus Imperatorum vivere, protegi, quietam vitam sub eorum protectione ducere, & similia.*

Chysoft.
T. IX. pag.
685.

Ibid. pag.
687.

S. Joannes Chrysostomus Homil. XXIII. in Epist. ad Roman. ad illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: ita profatur. Ostendit Christum non ad everisionem communis politie leges suas induxisse, sed ad emendationem, docens ne superflua & inutilia suscipiantur bella. Rursus ad illud: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: in hunc modum differit. Ita Apostolus principes infideles ad piam religionem magis alliciebat, & fideles ad obedientiam. Etenim rumor undique circumferebatur, quo Apostoli ut seditiosi & novarum rerum auctores incusabantur, qui ad Legum communium everisionem omnia facerent & dicerent. Cum enim ostendes, communem Dominum nostrum suis*
omni-

5
omnibus præcipere Magistratibus obedire, eorum qui Apostolos ut novatores traducebant, ora obstrues, & cum maiori fiducia pro veritatis dogmatibus loqueris. Et infra: Deus id exigit, ut creatus ab ipso Princeps vires suas habeat... Quod si observaris, Christiane, ipse Princeps eo te magis amabit, Deumque tuum, etiam si incredulus fuerit, hoc nomine glorificabit.

Ibid. pag. 689.

S. Augustinus lib. XIX. de Civit. Dei Cap. 17. Terrena civitas, quæ non vivit ex fide, terrenam pacem appetit: in eoque desigit imperandi obediendique concordiam civium, ut sit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus humanarum quædam compositio voluntatum. Civitas autem cælestis, vel potius pars ejus, quæ in hac mortalitate peregrinatur, & vivit ex fide, etiam ista pace necesse est utatur, donec ipsa, cui talis pax necessaria est, mortalitas transeat. Et infra: Hac ergo cælestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem: non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est; quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur: nihil eorum rescindens, nec destruens, immo etiam servans ac sequens: quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrene pacis intenditur, si religionem, qua unus summus & verus Deus colendus docetur, non impedit.

August. T. VI. P. II. pag. 561.

Tertullianus in lib. ad Scapulam cap. 2. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Romano imperio. Idem in Apologetico cap. 31. Qui ergo putaveris nihil nos de salute Cesarum curare, inspicere Dei voces, nostras litteras, quas neque ipsi supprimimus, & plerique casus ad extraneos transferunt. Scitote ex illis præceptum esse nobis, nominatim atque manifeste orare pro regibus, & pro principibus & potestatibus, ut omnia tranquilla sint nobis. Cum enim conculcitur imperium, concussis etiam ceteris membris ejus, utique & nos, licet extranei a turbis, in aliquo loco casus invenimur.

Tertul. pag. 69.

Ibid. pag. 27.

Origenes Presbyter Alexandrinus in Epist. ad Rom. Lib. IX. Cap. 13. Si enim ponamus, verbi gratia, credentes Christo potestatibus sæculi non esse subditos, tributa non reddere, nec vectigalia pensitare, nulli timorem, nulli honorem deferre: nonne per hæc rectorum & principum merito in semetipsos arma converterent, & persecutores quidem suos excusabiles, semetipsos vero culpabiles redderent? Non enim jam fidei, sed contumaciæ causâ impugnari viderentur.

Orig. T. II. pag. 716. edit. Basil. 1657.

PROPOSITIO IV.

*In civilibus & temporalibus administrandis nul-
lum superiorem agnoscunt Reges, præter so-
lum Deum.*

LOCUS SCRIPTURARUM.

Rex David Psalm. L. 6. *Tibi soli peccavi.* Conferantur Patres infra
citandi.

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Tertul. p.
27.

Ibid. pag.
69.

Optat. p.
56.

Ambros.
T.I. p. 692.

Cassiodor.
P. II. pag.
170.

Turon.
pag. 224.

Ivo P. II.
pag. 72.

Argent.
T. II. P. II.
pag. 28.

Goldast.
T. III. pag.
692.

TERTULLIANUS in Apologetico Cap. 30. *Sciunt Imperato-
res quis illis dederit imperium. Sentiunt eum esse Deum
solum, in cuius solius potestate sunt, à quo sunt secundi,
post quem primi. Idem in Libro ad Scapulam Cap. 2.
Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi
expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est, à
Deo consecutum, & solo Deo minorem.*

S. Optatus Milevitamus Lib. III. Cap. 3. *Cum super Imperato-
rem non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem: dum se Donatus
super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut
prope se Deum, non hominem aestimaret, non recolendo eum, qui post
Deum ab hominibus timebatur.*

S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis in Apologia Davidis I.
Cap. 10. num. 51. exponens Davidicum illud, **TIBI SOLI PECCAVI:**
*Rex utique erat, nullis ipse legibus tenebatur: quia liberi sunt Reges
à vinculis delictorum, neque ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti sub
imperii potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.*

Cassiodorus Expos. in Psal. L. *De populo si quis erraverit, &
Deo peccat & Regi: quando rex delinquit, soli Deo reus est
quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet. Merito ergo Rex
Deo tantum se dicit peccasse, quia solus erat, qui ejus potuisset ad-
missa discutere.*

S. Gregorius Turonensis Lib. V. Hist. Franc. Cap. 19. *Siquis
de nobis, ò Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi
potest: si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi,
sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi
is qui se pronuntiavit esse justitiam?*

S. Ivo Episcopus Carnotensis Epist. CLXXI. *Quia dispensatio-
nes rerum temporalium regibus attributa sunt, & Basilei, id est, fun-
damentum populi & caput existunt: si aliquando potestate sibi concessa
abutuntur, non sunt a nobis graviter exasperandi: sed ubi sacerdotum
admonitionibus non adquieverint, divino judicio sunt reservandi.*

Aliorum Patrum testimonia inquiringibus dabit Carolus Argen-
træus Episcopus Tutelensis in *Collectione Judiciorum de Novis Errori-
bus*, & Rogerus Widringtonus in *Apologia pro Jure Principum*, quæ
extat apud Goldastum.

PRO-

PROPOSITIO V.

Duas has Potestates, Regiam & Pontificiam, actibus & officiis propriis Deus ita distinxit, ut unaquæque in suo genere sit suprema & ab altera independens.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

A

ALBERICUS de Rosate Bergomensis, Sacrorum Canonum Interpretes Celeberrimus sæculo XIV. in Dictionario Juris, verbo *Electio* ita scribit: *Pastores Ecclesie mittentes falcem in messem alienam, fecerunt quatuor Decretales, unam de electione Imperatoris, quæ incipit, Venerabilem. Alia est super depositione Friderici Imperatoris, Cap. ad Apostolicæ, de sententia & re judicata in sexto. Alia est super discordia orta ex sententia criminis lese Maiestatis lata per Imperatorem Henricum, quæ est in Clementina de Sententia & re judicata, Cap. Pastoralis. Alia est Clementina prima de Jurejurando, quod Imperator tenebatur prestare juramentum fidelitatis Papa, & de aliqua potestate Papa super Imperatorem. Quæ Decretales an sint justæ, Deus novit: nullam enim earum salvo meliori consilio, (& si erroneum foret, revoco) credo juri consonam. Immo eas credo proditas contra jura & libertatem Imperii, & puto potestates distinctas à Deo processisse.*

Anonymus Doctor sub Philippo Pulchro in Tractatu de Potestate Papæ: *Jurisdictio spiritualis & Jurisdictio temporalis, sunt omnino distinctæ & disjunctæ. Unde non est inter illas mutua dependentia, nisi quantum ad mutuam defensionem, quam sibi mutuo tenentur exhibere, cum necesse fuerit, prout ad unamquamque pertinet, ut bene valeat regi Respublica.*

Nicolaus de Cusa Cardinalis Lib. III. de Concordantia Catholica Cap. 41. *Cogitet Romanus Pontifex, quod supremus aliorum ministerialem curam habet, non dominationis imperium: ac utrasque a Deo esse potestates, ac nostro gratiæ tempore vere distinctas, ut Nicolaus Pontifex asserit 93. dist. cum ad verum, & idem 91. Ecclesiæ meæ: & consimilia multa ad minus distinctionem independentem probare videntur. Et illa fuit omnium antiquorum opinio vera: & si dubia noviter exorta sunt, ob sinistrum multorum complacendi studium.*

Sacra Facultas Parisiensis sub Philippo Pulchro Gallorum Rege apud Bullæum in Historia Universitatis Parisiensis Tom. IV. *Bonifacius ausus est Philippo Pulchro leges dicere, tamquam dominus subdito. Sed ejusmodi jugi Francia impatiens brevi ostendit, quibus se limitibus arctare deberet Pontificia potestas. Universitas in eam rem consulta respondit fortiter pro more suo: Regem in temporalibus non agnoscere superiorem, nisi Deum.*

Maiorum suorum doctrinæ insistens eadem Sacra Facultas sub Ludovico XIV. sequentes articulos ad eundem Regem per Harduinum Perefixium Sorbonæ Proviforem misit, quos ab Illustrissimo Bossueto accepimus.

Apud Goldastum T. III. Confer omnino Duarenum Lib. I. de Sac. Eccles. ministr. prop. finem ap. 4. pag. 1540.

Anonymi Tom. I. pag. 192. edit. Richerii.

Cusa. pag. 811. Basil. 1565.

Bull. pag. 935.

Bossuet. T. I. pag. 99.

cepimus. Primum: *Non esse doctrinam Facultatis, quod Summus Pontifex aliquam in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem habeat. immo Facultatem semper obstitisse iis qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt.* Alterum: *esse doctrinam Facultatis ejusdem, quod Rex Christianissimus nullum omnino agnoscit, nec habet in temporalibus superiorem prater Deum. Eam suam esse antiquam doctrinam, à qua nunquam recedet.*

Barclai.
pag. 167.

Joannes Barclaius in *Vindiciis Regum* adv. Bellarminum Cap. III. *Non igitur subordinata est Ecclesiastica potestas politica, cum non propter Ecclesiasticam constituta sit, sed ad civilem concordiam: & adipisci suum finem absque illius ope possit, quod ut ipse fateris, in Ethnicis saepe factum: cum Ecclesiastica etiam absque illa esse queat, ut primis revera post Christum annis fuit: cum denique neque ad finem, neque ad essentiam una ad aliam ordinem dicat, sed sint à summo Deo dignitatibus, officiis, actibusque distincta.*

Marca P.
I. pag. 57.

Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis Lib. II. de *Concordia Sacerdotii & Imperii* Cap. II. num. 10. *Hac auctoritas ita accipienda est, ut Reges in rebus humanis nec ipsius Ecclesiasticae potestatis consortium admittant: quae ita rebus spiritualibus est addicta, ut sine injuria Regum res temporales attingere non possit. Quippe Magister edixit, regnum suum de hoc mundo non esse: se judicem aut divisorem terrae hereditatis non fuisse constitutum: docuitque Paulus Dei militem se non implicare negotiis secularibus, sed mysteriorum dispensationi, ut Christi ministrum.*

Boffuet. T.
I. pag. 171.

Jacobus Benignus Bossuetus Episcopus Meldensis in *Defensione Declarationis Gallicanae* Lib. I. Sect. II. Cap. 31. *Jam illud considerandum aggredimur, quod ex ante dictis est consecutaneum, & tamen ex Scripturis diligentius explicandum: ambas potestates, Ecclesiasticam & civilem, ita esse divino numine constitutas, ut in suo genere & ordine unaquaque sub uno Deo proxime collocata, prima ac suprema sit.*

Baluz. T.
II. pag.
1259.

Stephanus Baluzius Tutelensis Presbyter in *Notis ad Capitularia Regum Francorum*, postquam retulisset illud Hincmari Remensis Archiepiscopi dictum: *Papa Rex & Episcopus simul esse non potest: & illud Gallicanae Ecclesiae commune effatum saeculo IX. Solus Christus Rex fieri potuit & Sacerdos: ita demum scribit: Sane postea persuasum est Romanensibus, Papam esse Regem. Sed ista opinio nondum stabilita erat aeo Hincmari. Immo altera certa videbatur. Itaque tunc capitale non erat si quis regnum dixisset in Ecclesia non esse: adeoque Hincmarus extra culpam tunc erat, quamquam non extra invidiam. Sic Sancto Bernardo fas fuit libros de Consideratione scribere ad Eugenium tertium. Alia fuere Baronii tempora, quia manu sub dominantis erat.*

Exempla Principum Christianorum.

Hincmar.
Tom. II.
pag. 695.

ANno Christi 870. cum Hadrianus II. Romanus Pontifex tentasset de jure hereditario Regni Lotharii sententiã suã decernere, & mandatis suis rebelles fratres Carolum Calvum Franciæ & Ludovicum Germaniæ Regem excommunicatione plectere: Hincmarus Remensis Archiepiscopus totius Regni nomine ad ipsum Hadrianum Epistolam scripsit, ubi inter alia hanc Gallorum Procerum vocem adiecit: *Petite Dominum Apostolicum, ut quia Rex & Episcopus simul esse non potest, & sui antecessores Ecclesiasticum ordinem, quod suum est, & non rempublicam*

9
cam quod Regium est, disposuerunt: non precipiat nobis habere Regem qui nos adjuvare non possit, & nos Francos non jubeat servire cui nolimus: quia istud jugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sacris libris audimus, ut pro libertate & hereditate nostra usque ad mortem certare debeamus. Addunt ad calcem epistolæ: Si Dominus Apostolicus vult pacem querere, sic pacem querat, ut rixam non moveat: quia nos non concedemus ut aliter ad Regnum Dei pervinere non possimus, si illum, quem ipse commendat, Regem non habuerimus.

Anno 1188. Cum Joannes de Agnatio, Legatus Romani Pontificis Clementis III. Philippo Augusto Francorum Regi minitaretur: Quod nisi Rex Franciæ cum Rege Anglorum ad plenum componerent, ipse omnes terras eorumdem interdicto concluderet: Rex Francorum respondit, ad Episcopum Romanum minime pertinere in Regem aliquem per sententiam animadvertere, si Rex idem in homines suos dementes & regno suo rebelles, ulciscendi causâ insurgere disposuerit.

Anno 1301. celeberrimam illam epistolam ad Philippum Pulchrum Gallorum Regem dederat Bonifacius Papa VIII. cujus epistolæ initium erat hujusmodi: Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes. Hoc Pontificis dictum ne in præjudicium Regiæ auctoritatis traheretur, die Dominica post Octavam Purificationis B. Mariæ, Rex Franciæ fecit comburere Bullam Papæ in medio omnium nobilium & aliarum personarum, & cum trompis fecit combustionem hujus Bullæ per totam Villam præconisari. Item idem Rex condemnavit filios suos in præsentia totius Curie suæ & Procerum omnium, si advobarent ab aliquo vivente, nisi solummodo à Deo Regum Franciæ.

Antea Pontificios Legatos obtestatus fuerat Rex Philippus in hunc modum: Quatenus ipsius Regis tangit animam & ad spiritualitatem attinet, idem Rex prædecessorum suorum sequens vestigia paratus est monitionibus & præceptis Sedis Apostolicæ devote ac humiliter obedire, in quantum tenetur & debet. Plura hujus generis exempla dabit Petrus Pithæus in Probationibus Libertatum Gallicanarum Cap. VII.

LOCA SCRIPTURARUM.

Paralipom. II. 19. Amarias sacerdos & pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.

Lucæ XXII. 25. Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.

Joan. XVIII. 36. Regnum meum non est de hoc mundo.

Ibid. 37. Dixit itaque ei Pilatus: ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego.

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Magnus ille Osius Episcopus Cordubensis sæculo quarto, apud Athanasium in Historia Arianorum Constantium Imp. adloquens: Tibi Deus, inquit, Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concedidit: & quemadmodum qui tibi Imperium subripit, contradicit ordinationi divina, ita & tu cave ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trabens, magni

Matthæus
Parisiens.
Histor.
Angl. pag.
149.

Acta hujus
diffidii Pa-
rif. edita
an. 1655.
pag. 44.
& 59.

Ibid. pag.
28.

Athanas.
pag. 371.

magni criminis obnoxius fias. DATE (scriptum est) quæ sunt Cesaris Cafari, & quæ sunt Dei Deo: neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere. neque tu Thymiamatum & Sacrorum potestatem habes, Imperator.

August. T.
IV. pag.
792.

S. Augustinus in Joan. Tractatu CXV. num 3. *Non quia regem se timuit confiteri, Tu dicis ita libratum est, ut neque se regem neget, (rex est enim cujus regnum non est de hoc mundo) neque regem talem se esse fateatur cujus regnum putetur esse de hoc mundo. Talem quippe ille sentiebat, qui dixerat, Ergo rex es tu: cui responsum est, Tu dicis quia rex sum ego. Dictum est enim Tu dicis, ac si dictum esset, carnalis carnaliter dicis.*

Concilior.
T. V. pag.
358.

S. Gelasius Papa I. exeunte sæculo v. in Tractatu de Anathematibus Vinculo: *Christus memor fragilitatis humana, quod suorum saluti congrueret dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi: ut & Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incurfibus, & ideo militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus: ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.*

Ibid. pag.
309. &
apud Gra-
tianum P.
I. Dist. 96.
Cap. 9.

Idem in Epistula ad Anastasium Imp. *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas. Et paulo post: Si enim, quantum ad ordinem pertinet publica disciplina, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent Religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusa videantur obviare sententiæ: quo, rogo, te decet adfectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt adtributi mysteriis?*

Concil. T.
IX. pag.
1344. &
apud Gra-
tian. P. I.
Dist. 96.
Cap. 6.

Nicolaus Papa I. medio sæculo IX. in Epistula VIII. ad Michaelem Imp. *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice Reges simul & Sacerdotes existerent. Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus JESUS, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur: & reliqua, quæ supra totidem pæne verbis ab Gelasio audivimus.*

Capitular.
T. II. pag.
9.

Drogo Metensis Episcopus in Synodo Teudonensi sub Carolo Calvo an. 845. Cap. 2. *Bene nostris ab illo qui solus merito & Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate & regali potestate gubernatur.*

Ibid. pag.
120.

Concilium Carisiacense sub eodem Carolo, an. 858. Cap. 15. *Idem Deus in carne veniens, qui solus Rex fieri potuit & Sacerdos, suum regnum, idest, Ecclesiam, inter pontificalem auctoritatem & regiam potestatem gubernandum disposuit.*

Hincmar.
T. II. pag.
695.

Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Epistula ad Hadrianum II. nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ conscripta: *Petite Dominum Apostolicum, ut quia Rex & Episcopus simul esse non potest, & sui antecessores*

ores Ecclesiasticum ordinem quod suum est, & non rempublicam, quod regum est, disposuerunt, &c.

Concilium Trosleianum sub Carolo Simplice, Cap. II. *Sicut regalis potestas sacerdotali religioni se devote submittit: sic & sacerdotalis auctoritas cum omni pietatis officio se regali dignitati subdere debet, sicut sanctus ostendit Papa Gelasius ad Anastasium scribens Imperatorem: Duo sunt, inquit, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, &c. Ergo quia & rex pro aeterna vita indiget pontificibus, & pontifices pro temporalium rerum cursu regali indigent dispositione: a rege obediendum est pontificibus recta, sancta, & justa suadentibus: & vicissim a pontificibus obediendum regi, pietatis cultui religione, jure, & solatio servienti.*

Concil.
Gall. Tom.
III. pag.
539.

Synesius Episcopus Pentapolitanus: *Connectere potestatem civilem cum Sacerdotio est sociare in sociabilia.*

Apud
Grot. T.
III. p. 210.
Fulg. pag.
215. Ve-
net. 1742.

S. Fulgentius Episcopus Ruspensis Lib. II. de verit. Prædest. & Grat. num. 37. *Quantum pertinet ad hujus temporis vitam, constat quia in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in saculo nemo Imperatore celsior invenitur.*

S. Bernardus Lib. I. de Consideratione Cap. 6. *Non monstrabunt, puto, ubi aliquando quisquam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has accepistis claves regni caelorum. Habent hæc infirma & terrena iudices suos, Reges & Principes terra. Quid fines alios invaditis? Quid falcem in alienam messem extenditis? Idem Lib. II. Cap. 6. Numquid dominationem tibi dimisit Sanctus Apostolus? audi ipsum: Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, Vox Domini est in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Planum est. Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude aut dominans Apostolatam, aut Apostolicum dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque.*

Bernard.
T. I. pag.
417.

Ibid. pag.
425.

Notæ in Marcam & Bossuetum.

Illustrissimus Petrus de Marca Lib. II. de Concordia Cap. I. num. 7. *Ad probandam distinctionem & independentiam utriusque potestatis, illud laudat tamquam à Leone IV. dictum apud Gratianum: Sicut Reges præsumunt in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei. At quisquis apud Gratianum legerit Canonem, Nos si incompetenter, quem allegat Marca: facile deprehendet illam sententiam non esse Leonis Papæ, sed ipsius Gratiani.*

Marca
pag. 50.

In novissima editione Amstelodamensi, qua utimur, Operum Illustrissimi Bossueti Lib. I. Sect. II. Cap. 33. illis Gelasii verbis secundo loco supra descriptis, *auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas, hæc tamquam ab eodem Gelasio profecta e vestigio subnectuntur: utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est. Quæ cum neque in tribus Conciliorum Collectionibus, Biniana, Labæana, & Harduiniana: neque apud Hincmarum, neque apud Gratianum reperiantur: putamus ea ab Illustrissimo Scriptore explicationis gratiâ adiecta, temere in Gelasianum contextum irrepsisse vel Librarium vel Typographorum incuriâ.*

Bossuet.
T. I. pag.
175.

Confectaria doctrinae praecedentis.

De primo
loco Pauli
vide Barcl.
fil. cap. 21.
Bossuet.
Lib. I. sect.
2. cap. 37.
De secun-
do Joan.
Parif. cap.
17.

Hugo
Tom. III.
pag. 607.

Concilior.
T. II. pag.
1002.

I. **L**ocus Pauli I. Cor. VI. 5. *Sacularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Is locus, inquam, minime probat juris aliquid in temporalia habuisse Apostolos, contra ac Bellarminus contendit Lib. V. de Rom. Pontif. Cap. 7. II. Nihil item nos movet, quod illud Jeremiae I. 10. *Ecce constitui te super gentes, & regna &c.* & illud Pauli I. Cor. II. 15. *Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur:* ad suam in temporalia potestatem demonstrandam allegat Bonifacius Papa VIII. in Extravaganti *Unam Sanctam*, &c. de Maiorit. & Obedient. Neque enim ii sumus, qui pro certis & inconcussis dogmatibus habendum judicemus, quidquid in Decretalibus continetur. Et tamen probe agnoscimus & ingenue fatemur, non primum fuisse Bonifacium, qui in rem suam Apostoli locum detorserit. Nam eodem sensu illum usurpasse legitur tum Hugo de S. Victore Canonicus Augustinianus de *Sacramentis* Lib. II. Part. II. Cap. 4. tum vetus auctor Epistolae ad Athanasium Alexandrinum ceterosque Aegypti Episcopos, quam Collectionibus suis inferuere Binius, Labbæus, & Harduinus: quamque Felici Papæ II. ab Isidoro Mercatore fuisse suppositam Critici fere omnes consentiunt. III. Canonem *Omnes*, ex Nicolao Papa II. desumptum à Gratiano Parte I. Dist. XXII. Cap. 2. & Caput *Novit ille*, de Judiciis: si in certamine obiecta fuerint, nihil pariter in rem facere demonstrabimus. IV. Quominus mirandum est, si quod scribit Innocentius III. in Capite, *Solita*, de Maior. & Obedient. *Tantam esse inter Pontifices & Reges differentiam, quanta est inter Solem & Lunam:* id nos indubitate adfirmemus nihil Pontificibus adtribuere in temporalia Regum. Tu interim mecum quæso, mirare, quam assentatorie, ne dicam ridicule, Innocentii verba amplificet & exaggeret priscus Glossæ conditor. *Cum terra, inquit, sit septies maior lunâ, Sol autem octies maior terrâ: restat ergo, ut Pontificalis dignitas quadrages septies sit maior regali dignitate.* Alius nomine Laurentius, ad emendationis Astronomiæ regulas idem argumentum instaurans, ex verbis Innocentii ibidem colligit: *Papam esse septies millies septingentesies quadragesies quater Imperatore & Regibus sublimiorem.* Deum immortalem! Et his tamen Glossis addiscendis totos annos insumunt in publicis Academiis ingenia nobilissima, spreta interim solidioris Theologiæ veterisque Historiæ cognitione, sine qua tamen parum Reipublicæ prodesse, multum vero obesse potest studium huiusmodi Glossatorum & Interpretum Juris Canonici.

PROPOSITIO VI.

Eorundem Temporalium jure, imperio, possessione, administratione, nec directe nec indirecte privare Reges potest Romanus Pontifex.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

CONVENTUS Ordinum Gallicorum, Parisiis die 9. April. an. 1593. præsente Cardinale Pelvæo, præsentibus etiam Episcopis plurimis, apud Barclaium filium: *Concilium Tridentinum privat Regem civitate illa vel loco, in quo permittit fieri duellum. Sess. 25. Cap. 19. Hic articulus est contra auctoritatem Regis, qui non potest privari suo dominio temporali, respectu cujus nullum omnino superiorem recognoscit.*

Barcl. pag. 117.

Sacra Facultas Parisiensis, cum in Libro Antonii Sanctarelli Jesuitæ de *Heresi, Schismate, & Apostasia*, Cap. 30. & 31. has propositiones deprehendisset: *Summum Pontificem posse temporalibus pœnis punire Reges & Principes, eosque deponere, & suis regnis privare ob crimen heresis, eorumque subditos ab illorum obedientia liberare. Item Apostolos fuisse subiectos Principibus secularibus de facto, non de jure: quin etiam statim ac constituta est Pontificia maiestas, cepisse omnes Principes esse illi subiectos: anno 1626. die 4. Aprilis, publica, justa, legitimaque animadversione, nota, censura, pestiferi ejus libri propositiones istas improbavit, & eam doctrinam tamquam novam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificie dignitati odium conciliantem, suprema Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogantem, subditos de obedientia & subiectione evocantem, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem damnavit.*

Argent. T. II. P. II. pag. 218.

Parisiensi Academiæ subscribere Tolosana, Burdigalensis, Valentina, aliæque apud eundem Argentæum pag. 220.

Clerus Gallicanus an. 1682. die 19. Martii Parisiis congregatus, de *Ecclesiastica Potestate* hanc Declarationem edidit apud Illustrissimum Bossuetum in Præfatione pag. XLV. *Reges & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subici, neque auctoritate clavium directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse: eamque doctrinam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quam Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.* Declarationi subscripsere Episcopi 34. & Theologi totidem, Præside Archiepiscopo Parisiensi.

Eandem doctrinam, ante editam Sacræ Facultatis censuram adversus Sanctarellum, doctissime propugnarat Guillelmus Barclaius Scotus in Libro *de Potestate Papæ*: qui Liber integer extat & legi potest apud Goldastum: item Joannes Barclaius Guillelmi filius in alio Libro Parisiis edito an. 1612. cui hunc titulum fecit: *Vindicia pro Regibus ac Principibus adversus Bellarminum.* Extat etiam apud Goldastum. Post

Goldast. T. III. pag. 624.

Goldast. T. III. pag. 895.

14
editam Declarationem Gallicanam idem argumentum egregie, si quis alius, pertractavit Illustrissimus Bossuetus Episcopus Meldensis quatuor primis Libris præclari & immortalis Operis, quod ille ita inscriptum voluit: *Defensio Declarationis Cleri Gallicani de Ecclesiastica Potestate*. Habemus ejus editionem novissimam & castigatissimam Amstelodami factam an. 1745. cui altera præcesserat Luxemburgensis an. 1730. De eodem argumento multa scitu digna congeffit Anonymus Gallus in Opere non ita pridem Londini edito, *Histoire du Droit Canonique*, Tomo II. Cap. 20. & in Dissertatione eidem adnexâ, *Sur le Droit des Souverains*.

LOCA SCRIPTURARUM ET PATRUM.

Joan. XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judeis: nunc autem regnum meum non est hinc.*

August. T.
IV. p. 791.

Augustinus in hunc locum Tractatu CXV. in Joan. num. 2. *Audite ergo Judei & gentes, audi circuncisio, audi præputium, audite omnia regna terrena. Non impedio dominationem vestram in hoc mundo: Regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille maior, cum Christus natus nutiaretur, expavit. Regnum inquit, meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo: Venite credendo, & nolite scire metuendo.*

Eodem spectat illud Sedulii veteris Poetæ in Festo Epiphaniæ: *Crudelis Herodes, Deum Regem venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Veteris Ecclesiæ eadem mens atque doctrina fuisse, invicte nostro judicio demonstratur tum à silentio ipsius Ecclesiæ, tum ab exemplis Sanctorum Pontificum & Episcoporum, qui per decem priora sæcula florere. Constat enim ante tempora Sancti Gregorii Papæ VII. nullum extitisse sive Romanum Pontificem, sive privatum Episcopum aut Doctorem, qui hanc deponendorum Regum auctoritatem Ecclesiasticis Antistitibus adtribueret. Constat sævientibus in Ecclesiam Constantio Ariano, Juliano Apostata, Valente itidem Ariano, Zenone & Anastasio Eutychianis, Constantino Copronymo & Leone Isaurico Iconomachis, aliisque Imperatoribus: sævientibus etiam impiis Regibus Theodorico Ostrogothorum, Recaredo Visigothorum, Genserico & Hunerico Vandalorum, & multis denique Longobardorum: numquam Romanis Pontificibus, numquam aliis Episcopis in mentem venisse impios & crudeles Principes temporali regno multare: immo è contrario constat, causam Christi à causa Cæsaris ita eos perpetuo distinxisse, ut sicut in iis quæ ad fidem, ad sacramenta, ad Ecclesiasticam politiam spectabant, nihil de jure suo Imperatoribus & Regibus permittebant: ita civilium & temporalium rerum administrationem, quanta quanta esset, solis Principibus sæcularibus ex divina institutione competere, illorumque legibus æque obnoxiam esse Ecclesiam ac Rempublicam, ipsi etiam Romani Antistites re & verbo profiterentur. Audi præstantissimum Augustiniani

stiniani Ordinis Theologum & Criticum sapientissimum, Onuphrium Panvinium Veronensem Libro IV. de varia creatione Rom. Pontif. apud Barclaium filium: *Et si ante Romani Pontifices, tamquam religionis christiana capita Christique Vicarii, & Petri successores colerentur: non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel adserendis vel tuendis. Ceterum Imperatoribus suberant: ad eorum nutum omnia fiebant: ab eis creabantur: de iis judicare, vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normanorum fretus, opibus Comitissæ Matbildis mulieris per Italiam potentissima confusus, discordiâque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter maiorum morem, contempta Imperatoris auctoritate & potestate, cum Summum Pontificatum obtinisset, Cæsarem ipsum à quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam regno imperioque privare ausus est. Res ante ea sæcula inaudita. Nam fabulas quæ de Arcadio, Anastasio & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror.*

Barclai. p.
333.

Confectaria Doctrinæ præcedentis.

Bellarminus Lib. V. de Rom. Pontif. Cap. 8. adversus doctrinam nostram hic opponit Imperatores & Reges quamplurimos a Romanis Pontificibus depositos: nempe Childericum a Zacharia, Henricum a Gregorio VII. Othonem ab Innocentio III. Fridericum ab Innocentio IV. & alios ab aliis. Opponit & Romanum Imperium de Græcis ad Germanos tranlatum à Leone Papa III. Antonius vero Charlas Lib. VII. de Libertatibus Ecclesie Gallicane Cap. 5. his exemplis addit Concilia Œcumenica Lateranense III. Cap. 27. de *Hæreticis*: & Lateranense IV. Cap. 3. *Excommunicamus*: (quod etiam à Gregorio IX. suarum Decretalium Libro V. insertum legitur Tit. 7.) item Lateranense V. Constantiense, & Tridentinum: in quibus omnibus corporales poenæ decernuntur etiam in Imperatores & Reges: immo eorum nonnulli depositi declarantur. Addunt in eandem rem iidem Scriptores ex Decretalibus Caput *Ad abolendam*, & Caput *Vergentis* de Hæret. ex Sexto Caput *Ad Apostolica* de sent. & Re judic. & Caput *Grandi* de suppl. neglig. Prælat.

Bellarmin.
T. II. pag.
442. &
seqq.

Charl. T.
II. pag. 16.
& seqq.

Nos è contrario adfirmamus primò: ante Gregorium VII. nullum fuisse de Romanis Pontificibus, qui hanc deponendorum Regum auctoritatem sibi re aut verbo adseruerit. Quod enim apud Gratianum legitur Can. *Alius*, P. II. Causa XV. quæst. 6. *Romanus Pontifex Zacharias Regem Francorum à Regno deposuit*: id qua ratione verum sit declarat Glossa, dum illud *deposuit* sic interpretatur: *deponentibus consensit*. Immo doctissimus Gallicanæ Congregationis nostræ Presbyter Carolus Cointius in Annalibus Francorum ad an. 752. num. 5. pro fabuloso habet, quicquid Francici Annales tradunt *de legatione Romanam missa responsoque Romani Pontificis prius accepto, quam Childericus e regno deiceretur*. Quod ad Imperii translationem attinet à Græcis ad Francos, quam sub Carolo Magno contigisse nemo ignorat: id non clavium potestate, sed humano jure factum hodie inter doctiores constat. Quod si alia de eo mens fuit Innocentii III. in Cap. *Venerabilem*, de Electionib. & Clementis V. in Clementina prima de *Jurejurando*: respondent Ægidius de Roma Ordinis Eremitarum S. Augustini Archiepiscopus

Ægid. T. I.
pag. 44.
edit. Recher.

- piscopus Bituricensis in Libro *contra usurpationes Bonifacii VIII. adversus Philippum Pulchrum Franciæ Regem*, art. IV. & Joannes de Parisiis Ordinis Prædicatorum Doctor celeberrimus in Tractatu de *Potestate Regia & Papali* Cap. XIV. Ubi queritur de potestate Summi Pontificis in temporalibus, efficax est testimonium Imperatoris pro Papa: sed non est multum efficax testimonium Papæ pro seipso, nisi dictum Papæ fulciatur auctoritate Scripturæ sacræ & canonica, & præcipue in materia ubi Imperator dicit contrarium manifeste, ut etiam ceteri Pontifices: unde in proposito non recipitur tale dictum. Adfirmamus secundò: nullam illarum depositionum à Romanis Pontificibus sive in Conciliis sive extra Concilia decretarum, certam fidem facere catholici dogmatis: ideoque facta illa, non jura reputari debere: id quod depositionibus illis ob oculos positis, ante nos adfirmare & docere non dubitarunt Theologi duo piissimi & sapientissimi: Nicolaus de Cusa Cardinalis Lib. III. de Concordantia Catholica, Cap. 41. & Joannes de Parisiis de Potestate Regia & Papali Cap. XIX. Adfirmamus tertio: nullum hæcenus ab Ecclesia prodiisse solemne & dogmaticum Decretum, quo credere jubeamur divinâ fide, supremis Ecclesiæ Pastoribus eam à Christo potestatem fuisse collatam, ut ubi id è re fuerit ipsius Ecclesiæ, Reges & Principes temporali ditione civilique imperio mutare valeant. Quod nequis à nobis sine auctore dictum credat, audiat celeberrimum Benedictini Ordinis Abbatem Joannem Trithemium, sæculo decimo sexto ineunte clarum in Chronico Hirsaugiensi ad an. 1106. *Primus fuit inter Romanos Imperatores Henricus IV. qui ab imperio legitur depositus. Scholastici certant, & adhuc sub judice lis est: an Romanus Pontifex jure possit deponere Imperatorem.* Audiat multo recentiore & graviorem testem laudatissimum Cardinalem Perronium in Repl. ad Reg. Britan. Cap. 91. *Ipse Bellarminus monet, id quod de Pontificis in temporalia potestate indirecta docet, non à se haberi ut fidei doctrinam, aut sub pœna excommunicationis tenendam.* Audiat denique ævi nostri maximum & sapientissimum Theologum Jacobum Benignum Bossuetum Episcopum Meldensem Lib. III. Cap. 5. *Illud etiam asserimus ad placandos Catholicos & hæreticos retundendos, de deponendis regibus nullum canonem aut professionem ab Ecclesia fuisse editam, neque à quoquam aut Concilio, aut etiam Papa, pronunciatum esse nequis negaret Principes à Pontificibus posse deponi.* Adfirmamus quartò: falli vehementer eos, qui cum Bellarmino scribunt, ideo in impios & hæreticos Reges auctoritatem suam non exercuisse veterem Ecclesiam, quia illis deponendis imparem se propter Christianorum imbecillitatem agnosceret. Nec dissimulamus tamen Bellarmino præivisse B. Thomam Aquinatem, dum in 2. 2. quæst. XII. art. 2. ad I. sic scribit. *Dicendum quod illo tempore Ecclesia in sui novitate non dum habebat potestatem terre nos principes conpescendi: & ideo toleravit fideles Juliano apostatæ obedire in his, quæ nondum erant contra fidem, ut maius periculum fidei vitaretur.* Confer Bossuetum. Lib. II. Cap. 2. pag. 191.
- Parif. ibid. pag. 105.
- Cusa pag. 822. Parif. pag. 123.
- Trithem. T. I. pag. 342.
- Perron. p. 633. Parif. 1620.
- Bossuet. T. I. pag. 278.
- Bellarmino. Lib. V. Cap. 7. T. II. pag. 441. Thomas. T. XI. P. II. fol. 34. pag. 2. Romæ 1570.

PROPOSITIO VII.

Sicut jus & exercitium spiritualis gladii, quod consistit in Ecclesiastica censura, solis competit Pontificibus: ita jus & exercitium gladii materialis, quo corporales pœnæ infliguntur, solis competit Principibus sæcularibus.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

GRATIANUS P. II. *Causa II. quæst. 7. Cap. 41. Sicut Reges præsumunt in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei. Regum est corporalem irrogare pœnam: Sacerdotum spiritualem inferre vindictam Sicut enim non sine causa Judex gladium portat, ita non sine causa claves Ecclesiæ Sacerdotes accipiunt. Ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: isti habent claves ad exclusionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium.* Rursus P. II. *Causa XXIII. quæst. 7. De Episcopis vero vel quibuslibet clericis, quod nec sua auctoritate, nec auctoritate Romani Pontificis arma arripere valeant, facile probatur. Cum enim Petrus materiale gladium exercebat ut magistrum à Judæorum injuria defensaret, audivit: Convertite gladium tuum in vaginam: omnis enim, qui gladium acceperit, gladio peribit. Ac si aperte ei diceretur: hætenus tibi tuisque prædecessoribus inimicos Dei gladio corporali licuit persequi: deinceps in exemplum patientie gladium tuum, idest, hætenus concessum, in vaginam convertite: & tantum spirituale gladium, quod est verbum Dei, in mactatione veteris vite exerce. Omnis enim qui præter illum vel auctoritatem ejus, qui legitima potestate utitur, qui, ut ait Apostolus, non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet: omnis, inquam, qui præter auctoritatem hujusmodi gladium acceperit, gladio peribit.* Rogerius Bacon Ordinis Minorum, Theologus celeberrimus sæculo XIII. apud Argentoræum in *Collectione Judiciorum &c. Papa aliique Prælati Ecclesiæ de jure divino possunt punire delinquentes pœnis spiritualibus: at vero quoad inflictionem pœnarum corporalium solum hoc possunt facere, quantum illis a Regibus & Principibus temporalibus permittitur.*

Concilium Lateranense Generale III. *Cap. 27. Sicut ait beatus Leo, licet Ecclesiastica disciplina Sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones: Catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur, ut sæpe quarant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium.*

Clemens III. in *Cap. Cum non ab homine, de Judiciis. Si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: postmodum vero si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habet ultra quid faciat, per sæcularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.*

Argentor.
Tom. II. P.
II. p. 217.

Concil. T.
XIII. pag.
430.

- Bibl. PP.
T. XXI.
pag. 128.
- Hildebertus Episcopus Cenomanensis sæculo XI. Epist. 30. *Reos tormentis adficere, vel suppliciis extorquere confessionem, censura Curie est, non Ecclesie disciplina.*
- Concil.
Tom. XVI.
pag. 247.
- Concilium Constantiense Generale Sess. XV. *Ipsum Joannem Hus excommunicatum & degradatum, cum Ecclesia Dei non habeat ultra quid agere valeat, Sacrosancta Synodus Curie seculari relinquendum decernit.*
- Ægid. pag.
30. Tom.
I. edit.
Richer.
- Ægidius de Roma Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Archiepiscopus Bituricensis in Tractatu contra Usurpationes Bonifacii VIII. Art. II. *Cum duplex sit civilitas, humana videlicet & divina, ad utriusque civilitatis regimen Deus duos gladios ordinavit, duas jurisdictiones distinctas ad invicem. Materiali gladio utuntur Principes, sicut ait Apostol. Roman. 13. Princeps non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, & vindex in iram ei qui malum agit. Gladio spirituali, quod est verbum Dei, utebantur Apostoli; materiali vero nunquam usi leguntur; nisi dicatur quod imminente Christi passione Petrus cum haberet gladium exemit, & unius auriculam amputavit. Rursus Art. V. Si concedamus duos gladios significare duas in Ecclesia potestates, dicemus quod revera duæ sunt: sed unam habent terreni Principes, & aliam habet Summus Pontifex: non enim dicuntur duo gladii fuisse Petro, sed unus tantum. Idem ad calcem Disputationis: Papa nec super humana corpora, nec super res corporales potestatem habet: sed solummodo ligandi animas & solvendi. Joannes de Parisiis Ordinis Prædicatorum in Tractatu de Potestate Regia & Papali Cap. X. *Multa alia possunt adduci ad ostendendum, Dominum Papam non habere utrumque gladium, nec jurisdictionem in temporalibus, nisi sibi concedatur à Principe ex devotione. Et hoc dicunt Expositores juris Canonici, qui statum in Ecclesia habuerunt. Querit enim Hostiensis de Hæreticis Cap. Vergentis, ubi mandat Dominus Papa hæreticorum confiscari bona. Quid ad Papam de temporalibus? Et respondet cum Domino suo Innocentio, quod revera nihil ad eum: sed hoc fecit de adfensu Imperatoris, qui tunc Paduæ præfens concessit. Idem Cap. XI. Dictum Bernardi magis est contra eos, quam pro ipsis: quia signanter dicit, quod Papa materialem gladium habet in nutu: quia ubi innuit Papa propter necessitatem boni spiritualis, Imperator debet exercere jurisdictionem secularis potestatis. Si tamen nolit, vel non videtur sibi expedire, Papa non habet aliud facere, quia non habet gladium in jussu, sed Imperator tantum. Idem Cap. XIII. *Ecclesia non habet gladium secularem alio modo: non quidem manu nec jussu, sed nutu & supplicatione, ut dicit Bernardus. Idem Cap. XVIII. Potest nihilominus dici, quod duo gladii ibi dicuntur fuisse & ad Apostolos pertinere, quia unus Apostolis & eorum successoribus convenit per se, quem à Christo habent: alius vero suus est aptitudine, quia eis non repugnat, & ex commissione & permissione Principum suus erat futurus.***
- Ibid. pag.
100.
- Ibid. pag.
120.
- Gerfon.
Tom. II.
pag. 232.
ediction.
Dupin.
- Joannes Gerfon Cancellarius Parisiensis in Tractatu de Potestate Ecclesiastica & Origine Juris, Considerat. IV. *Addita est pro inobedientium coercitione pœnalis excommunicatio. Et sunt qui dicunt pœnam hanc esse ultimam, quem infligere potest Ecclesiastica potestas jurisdictionis ex institutione Christi sola primaria: sic quod non extenditur ad incarcerationem, nec ut aliquis adjudicetur morti vel flagello corporali: sed facit hoc Ecclesiasticus dum facit ex concessione Principum: quemadmodum multam, ob eorum devotionem, jurisdictionis temporalis auctoritatem Clerus accipit.*
- Jacobus Almainus Doctor Parisiensis sub Ludovico XII. in Quæ-
stione

stione Resumptiva Conclus. II. *De ratione potestatis laica est pœnam civilem posse infligere, ut sunt mors, exilium, bonorum privatio &c. sed nullam talem pœnam ex institutione divina potest infligere Ecclesiastica potestas, immo nec incarcerare, ut plerisque Doctoribus placet: sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, ut puta excommunicationem.* Idem in Tractatu de Auctoritate Ecclesie, Cap. VIII. *In terris immediate subiectis Summo Pontifici, in quibus nullum recognoscit superiorem quoad temporalitatem, Prætores seu Judices licite causas sanguinis exercent, & non auctoritate sua, nec auctoritate alicujus Principis laici, cum nullus in illum populum jam habeat jurisdictionem: nec etiam auctoritate qua sit formaliter in Summo Pontifice: absit enim dicere in Summo Pontifice esse formaliter potestatem ad occidendum, cui Dominus usum materialis gladii prohibuit: ergo auctoritate qua est formaliter in populo.* Idem in Expositione Decisionum Magistri Guillelmi Occami, Part. II. Cap. 12. *Ex illo passu Luca 22. Ecce duo gladii hic: arguunt quod utraque potestas est commissa Petro. Respondet Doctor negando quod uterque gladius sit commissus Petro Secundo ego dicerem, quod quamvis intelligatur in sensu litterali, non tamen legatur quod utraque potestas fuerit commissa Petro: nam licet in Ecclesia sit utraque potestas, non tamen in eadem persona: nam illa qua significatur per gladium materiale, est Petro prohibita: dicit enim Christus Petro: Mitte gladium in vaginam. Reges gentium dominantur eorum, &c.*

Almain.
Tom. III.
edit. Ri-
cher. p. 13.

Ibid. pag.
55.

Ibid. pag.
197.

Joannes Maior ejusdem ævi Parisiensis Doctor in Lib. IV. Sentent. Dist. XXIV. *Ad tertium illud de duobus gladiis, est hyperbolice dictum à Bernardo: quare ex ipso non potest trahi efficax argumentum. Secundo ipse ponit forsitan, & hoc sufficit pro toto. Tertio dicitur, quod Papa unum gladium habet actu, scilicet spiritualem cum interdicit & excommunicat: alium habet in habitu, id est, potest rogare Principes terrenos, quatenus sint sibi subsidio.*

Maior.
ibid. pag.
247. &
seqq.

Conventus Ordinum Gallicanorum Lutetiæ, die 9. April. an. 1593. apud Joannem Barclaium ex ipsis Actis: *Concilium Tridentinum permittit Episcopis & eorum Officialibus, ut procedant in causis sue jurisdictionis non modo pecuniariis multis applicandis piis locis, sed etiam per captionem pignorum, & distractionem personarum. Sess. 25. Cap. 3. Hic articulus est notorie contra Francie usum, innumeris sanctionibus confirmatum, qui Ecclesiasticis iudicibus quasi territorium non habentibus, negat ut exsequi suas sententias aut judicia possint captione bonorum, vel personæ quam condemnant. Et sicubi ita velint procedere, oportet implorent brachium seculare.* Sacra Facultas Parisiensis in Conclusionem contra impios Regum parricidas anno 1610. *Solius Principis aut potestatis politica est gladio uti, Roman. 13.*

Barclai.
pag. 195.

Argent.
T. II. P. II
pag. 10.

Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis Lib. II. Cap. I. num. 7. *Hoc discrimen perseverat in genere pœnarum, que ab utraque potestate infliguntur. Etenim læsæ maiestatis reus pœnas capite luit, vel etiam deportatione aut relegatione. Divini vero numinis injuriam abstentione, jejuniis, & precibus Episcopi ulciscuntur, & purgatum pœnitentia reum Deo conciliant.*

Marca
pag. 50.

Illustrissimus Bossuetus Episcopus Meldensis Lib. I. Cap. 22. *Quod autem postea inter Christianos excommunicati, nisi resipiscant, sint infames, intestabiles, ad quadam vite civilis officia inhabiles; id ex eo ortum est, quod Christiani Principes, quoad fieri potest, leges suas ad bonos mores, atque Evangelicam disciplinam aptent; non quod excommunicatio per se ullo temporali jure bonoque privet.* Adde Lib. IV. Cap. I. & Cap. V.

Bossuet.
T. I. pag.
159. &
330. & 337

Ibid. pag.
337.

LOCA SCRIPTURARUM.

Joan. XVIII. 36. *Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc.*

Ad Rom. XIII. 4. *Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

Matth. XXVI. 52. *Ait Pero Jesus: converte gladium tuum in locum suum.*

August. ep. 93. aliàs 48. *Petri gladius in vaginam revocatur à Christo, & ostenditur non debuisse eximi nec pro Christo.*

Aug. Tom.
I. P. II. pag.
233.

Matth. XVIII. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* August. ibid. *Traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati hominum: tradiderunt & Apostoli homines potestati satanae.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Ambros.
Tom. II.
pag. 858.

S Anct. Ambrosius Episcopus Mediolanensis in Epist. XX. num. 22. & 23. *Tradere Basilicam non possum: sed pugnare non debeo. Habeo arma, sed in Christi nomine: habeo offerendi mei corporis potestatem: habemus tyrannidem nostram: tyrannis Sacerdotum infirmitas est.* Idem in Sermone contra Auxentium num. 2. *Dolere potero, potero flere: adversus arma, milites, Gothos quoque, lacrimæ meæ arma sunt: talia enim munimenta sunt Sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere.*

Ibid. pag.
864.

Damian.
Tom. I.
pag. 56.
& seqq.

S. Petrus Damianus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, Lib. IV. Epist. 9. ad Oldericum: *Inter Regnum & Sacerdotium propria cujusque distinguuntur officia: ut Rex armis utatur sæculi, & Sacerdos accingatur gladio spirituali, quod est verbum Dei.* De sæculi enim Principe Paulus dicit: *Non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.* Ozias Rex qui sacerdotale usurpat officium, lepra percutitur: & si Sacerdos arma corripit, quod utique laicorum est, quid meretur? Cum autem sibi obici videret Damianus, Leonem IX. bellicis usibus se frequenter implicuisse Pontificem: nihil hæc moratus exempla, audi quid respondeat: *Nunquid hoc legitur vel egisse vel litteris docuisse Gregorius, qui tot rapinas & violentias à Longobardorum feritate est perpeffus? Num Ambrosius bellum Arianis se suamque Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Nunquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum?*

Conciliar.
Tom. II.
pag. 1324.

Patres Concilii Carthaginensis Plenarii totius Africae, in quibus erat S. Augustinus, an. 404. adversus Donatistas Legatos destinarunt ad Honorium Imperatorem cum mandatis hujusmodi: *Cum Domini auxilio piissimos Imperatores adierint, ut eis insinuent, quemadmodum plenam fiduciam secundum superioris anni Concilium Donatistarum prepositi actibus municipalibus sunt conventi, &c.* Unde quia impletum est erga illos Episcopale ac pacificum officium, & illi qui veritati respondere nequiverunt, ad inmanes violentias sunt conversi: ita ut multos Episcopos multosque Clericos insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas invaserint: ipsorum jam clementia est consulere, ut Ecclesia Catholica eorum etiam protectione maniat, &c. Poscimus ut Catholicis Ecclesiarum ordinibus per civitates singulas tuitio prebeat. Simul etiam petendum, ut illam legem, quæ à religiosa memoria eorum patre Theodosio de auri libris decem in ordinatores, vel ordinatos hæreticos, seu

seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, promulgata est: ita deinceps promulgari precipiant, ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuerint: ut hoc saltem terrore a schismatica vel heretica pravitate desciscant, qui consideratione aeterni supplicii emendari dissimulant.

S. Augustinus Hipponensis Episcopus in Libro ad Bonifacium, seu Epistula 185. aliás 50. num. 25. *Antequam ista leges imperatoriae in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quamvis Donatistarum rabies usquequaque saeviret, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam heresim juberent omnino non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent: sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem catholicam vel predicarent legendo, vel legerent constituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem piissima memoriae Theodosii, quam generaliter in omnes hereticos promulgavit, ut quisquis eorum Episcopus vel Clericus ubilibet esset inventus, decem libris auri multaretur: expressius in Donatistas confirmarent, ut eâ multâ ferirentur ii, in quorum regionibus aliquas violentias a clericis vel populis eorum Ecclesia Catholica pateretur. . . . Obtinuimus tamen ut illud potius, quod dixi, ab Imperatoribus peteretur: decretum est in Concilio nostro: legati ad Comitatum missi sunt. Sed Dei misericordia id egit, ut nostra legatio jam quid ageret non haberet. Jam enim lex fuerat promulgata, ut tanta immanitatis heresis Donatistarum, non tantum violenta esse, sed omnino esse non sineretur impune: non tamen supplicio capitali, propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam: sed pecuniariis damnis propositis, & in Episcopos vel ministros eorum exilio constituto.*

August.
Tom. I. P.
II. p. 635.
& seqq.

Idem Lib. III. contra Cresconium Cap. 46. *Exhibitus Crispinus, & quod se esse Proconsuli querenti negaverat, facillime convictus hereticus: decem tamen libras auri, quam multam in omnes hereticos Imperator Theodosius constituerat, intercedente Possidio non est compulsus exsolvere. Qua mitissima sententia non contentus, nescio quo consilio ad ejusdem Theodosii filios provocandum putavit. Acceptum est, rescriptum est. Quid aliud, nisi quod pars Donati jam sciret, se ad illam pœnam aurariam cum ceteris hereticis pertinere?*

August.
Tom. IX.
pag. 461.

Rursus idem Augustinus ad Bonifacium num. 36. *Quicquid nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transire jusserunt. Cum ergo nobiscum sint earundem Ecclesiarum pauperes, qui eisdem possessiunculis alebantur: ipsi potius foris positi, desinant concupiscere aliena.*

August. T.
I. P. II. pag.
657. & seqq.

Talpâ cæcior est qui non videat, ex mente Augustini & ceterorum Patrum Africanorum ad solos Imperatores sive Reges, non vero ad Episcopos, corporalium pœnarum etiam in hæreticos tum executionem, tum promulgationem seu impositionem pertinere: ut quod Episcopalis vindicta, quæ in sola spirituali animadversione consistit, emendare non potest: id leges imperatoriae sive regiae indicto exilio, vel bonorum confiscatione decretâ coerceant & castigent.

Ex tribus autem legibus imperatoriis ab Augustino memoratis, prima senioris Theodosii Lex est XXI. secunda Honorii Lex XXXVIII. tertia ejusdem LII. in Codice Theodos. Tit. de *Hæreticis*. Singulas ex editione Dionysii Gothofredi accurate lustravimus. Easdem vero aliasque quamplurimas ad Donatistas spectantes, Gothofredi commentariis illustratas, Operibus Sancti Optati Milevitani à se editis subiecit CL. Dupinus, Antuerpiæ an. 1702.

Gothofr.
Tom. VI.
pag. 138.
& 157. *

Firmat

172.

Capitul.
Tom. II.
pag. 56.

Firmat & illustrat superiorem doctrinam mirifice, quod in antiquis Capitularibus Regum Francorum legitur à Carolo Calvo statutum an. 853. *Ut Comites vel Reipublica Ministri simul cum Episcopo unusquisque parochia sint in ministeriis illorum, quando idem Episcopus suam parochiam circumierit: & quos per excommunicationem Episcopus adducere non potuerit, ipsi regia auctoritate & potestate ad penitentiam & satisfactionem adducant.*

Confectaria doctrinæ præcedentis.

Almain.
Tom. III.
pag. 197.
edit. Richer.
Maldon.
pag. 1188.
Calmet.
Tom. VII.
pag. 629.

Parif. pag.
119.

Confule
Bossuet.
Lib. III.
cap. 16.
pag. 302.

I. **E**X loco Evangelii Lucae XXII. 3^o. *Ecce duo gladii hic: firmo & certo argumento confici non potest, penes Ecclesiae Pastores ex institutione Christi esse utrumque gladium, & materiale spirituali esse subiectum. Jacobus Almainus Gallus de Potestate Ecclesiastica & Laica Parte II. Cap. 12. Si in sensu litterali per utrumque gladium utraque potestas acciperetur, solum potest inferri, quod utraque potestas est in Ecclesia; sed non potest inferri, quod utraque potestas sit in Ecclesia in eadem persona. Joannes Maldonatus Jesuita Hispanus in Lucam: Recentiores interpretes duos ex hoc loco gladios Ecclesiam habere colligunt, alterum spirituales, temporalem alterum: quos ut habeat, ex hoc certe loco non habet. Augustinus Calmetus Benedictinus de Helvetia in eundem locum: Quidam duos hosce gladios de temporali atque spirituali Ecclesiae potestate intellexerunt: sed hæc explicatio mere allegorica est, eamque potestatem minime probat. II. Nec si ad utramque potestatem sibi adserendam hoc Evangelico testimonio usus est Bonifacius VIII. in Extravaganti *Unam Sanctam*, & ante eum Gregorius IX. in Epistula ad Germanum CPnum: necessario inde conficitur, aliter locum illum intelligi à nobis non posse. Audi Joannem Parisiensem Cap. XVIII. *Quod dicitur de duobus gladiis, respondeo, non est hic nisi quedam adaptatio allegorica, ex qua non potest sumi argumentum: quia secundum Dionysium, mystica Theologia non est argumentativa. Et Augustinus dicit in epistula ad Vincentium, quod allegoria non sufficit ad probationem alicujus, nisi ejus habeatur aliunde auctoritas manifesta. III. Quo pacto autem doctrinæ nostræ non adversetur S. Bernardus Lib. IV. de *Consideratione* Cap. 3. id in ipso certamine explicabitur. Falluntur autem egregie (ut & illud obiter adnotemus) siqui forte putant, primum fuisse Bernardum, qui hanc allegoriam ex loco Lucae deprompserit. Nam sæculo XI. eandem scriptis prodidere Hildebertus Cenomanensis Episcopus, & Goffridus Vindocinensis Abbas: ille ad sensum nostrum, hic ad Bonifacii. Extant utriusque Opera in Bibliotheca Patrum. IV. Ubi Ecclesia in reos quosdam poenâ carceris, exilio, multâ pecuniariâ, aliisque id genus animadvertit: id illa agit non auctoritate clavium, sed pia Christianorum Principum consensione subnixâ, qui pro sua in ipsam Ecclesiam veneratione poenas ab illa statutas suis legibus vel præveniunt, vel ratas habent. V. Ex privilegio eorundem Principum est, quod Ecclesiastici Antistites pro coercendis & puniendis reis carcerem & Apparitores habent. De hoc argumento probationes testimoniaque alia Doctorum Catholicorum siquis legere voluerit, adeat Carolum Fevretum in prægrandi Opere Gallico, *Traité de l'Abus*, Lugduni edito an. 1736. Lib. VIII. Cap. 3. & 4.**

Interim audi celeberrimum utriusque Juris in Gallia Professore
Franciscum Duarenum, Libro I. de *Sacris Ecclesie ministris* Cap. 4.
Duaren. pag. 1539. *Constat Sacerdotes jurisdictionem aliquam tam in populum quam in clerum*

rum

rum semper habuisse: sed olim moderatiùs aliquanto exercebatur, nullà vi corporali adhibità: cujus rei vel illud argumentum est, quod Eugenius II. instituisse carceres & vincula ad Clericos coercendos primus omnium fertur. Nunc ea pœnarum genera excogitata & usitata sunt, ut jurisdictio Ecclesiastica à gladii potestate non multum discrepet. Et paulo infra: Gladii igitur jus & imperium non habent Sacerdotes, sed magistratus civilis, ut clare testatur Christus, cum ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Et: Reges gentium dominantur eis: vos autem non sic. Nam & Petrus præcipit eis, ut pascant gregem non dominantes. Inde Hieronymus ad Nepot. Episcopi, inquit, sciant se Sacerdotes esse non Dominos. Itaque dicuntur non habere territorium, nec prebendendi submovendique facultatem, L. Pupillus, §. territorium, de verb. Signif. Duareno concinit Joannes Gibertus, alterum nostris temporibus Galliæ lumen, dum in Prolegomenis ad Jus Canonicum Tit. VIII. Sect. I. ita scribit: Concilium Insule in Comitatu, anno 1253. habitum evidenter supponit, Decreta Conciliorum circa res temporales esse mera proposita, priusquam à Principibus adoptentur. Nam pœnas pecuniarias in contemptores excommunicationum confirmat, sub clausula tamen, si Domini temporalis consensus impetrari queat. Lege reliqua quæ inibi leguntur de hoc argumento.

Gibert. T.
I. pag. 14.

PROPOSITIO VIII.

Materiali gladio, hoc est, Legum suarum auctoritate & severitate, uti Reges possunt & debent, non solum ad Rempublicam conservandam, sed etiam ad Religionem tuendam: in quo quidem necessario continetur cùm tuitio & exsecutio Canonum Sacrorum, tum extirpatio & punitio abusuum etiam Ecclesiasticorum.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

PETRUS de Marca Archiepiscopus Parisiensis Lib. II. de concordia Cap. X. num. 1. Non solum interpellati & rogati Principes ministerium suum ad canonum observationem commodare possunt, sed etiam ex officio in eam curam incumbere tenentur. Ad quæ officia Principes adigi putamus, non ex eo tantum capite, quod ea ad felicitatem Imperii conducant, quæ quidem ut plurimum cum illis est conjuncta: sed ex eo etiam, quod nomen suum Christo dederint, eique caput suum & ipsam regiam dignitatem devoverint. Rursus Lib. IV. Cap. I. num. 2. Curâ Principum Christianorum olim non solum hæreticorum furores compressi, tumultus seditiosorum sedati, contumacia Episcoporum & Clericorum adversus synodo-

Marca p.
81.

Ibid. pag.
196.

rum

rum sententias rebellium ab externa potentia repressa passim inter legendum occurrunt: sed etiam Principum studio prohibiti Episcopi, ne legibus secularibus, vel canonibus violatis injuriam subditis inferrent. Et num. 3. Tanta vero & tam diligens cura a Principibus adhiberi debet custodia canonum, ut potiore legum Ecclesiasticarum quam civilium rationem habere debeant, ut monet Justinianus in Præfatione Novellæ CXXXVII.

Natal. T.
IV. p. 290.

Natalis Alexander Ordinis Prædicatorum Dissertat. XXI. sæculi IV. Principes sunt tutores & defensores canonum, ac vindices Ecclesiasticæ discipline. Cum itaque canonibus vulnus aliquod infligunt Ecclesiastici Judices, ac disciplinam violant usu diuturno firmatam: immo cum peccant in ipsa juris naturalis principia, legitimum est ad Principes perfugium.

Apud. Fe-
vretum
Lib. I. Cap.
5. Tom. I.
pag. 49.

Claudius Espencæus Episcopus Gallus in Epist. ad Titum Cap. III. Si Principum nihil interest rerum sacrarum, cur de negotiis Ecclesiasticis in Codice, in Novellis tot augustæ leges atque constitutiones, tot in nostris & omnium Christianorum Annalibus Edicta Regia, tot secularia consulta?

Cusa pag.
820.

Nicolaus de Cusa Cardinalis sub Eugenio IV. Lib. III. de Concordantia catholica Cap. XL. Non decet quemquam dicere sanctissimos Imperatores, qui pro bono Reipublicæ in electionibus Episcoporum, & collationibus Beneficiorum, & observatione Religionum multas sacras constitutiones ediderunt, errasse & ita statuere non potuisse. Immo legimus Romanum Pontificem eosdem rogasse, ut constitutiones pro cultu divino, pro bono publico, etiam contra peccatores de clero ederent.

Duaren.
pag. 1541.

Franciscus Duarenus Lib. I. Operis supra laudati, Cap. 5. Quamvis de rebus sacris judicium sit Ecclesiæ, ut diximus: tamen ubi semel constituta sunt ac judicata, magistratus officium est Ecclesiæ judicia ac detreta tueri & conservare. Sacerdotes item in officio continet magistratus, disciplinam ecclesiasticam constituit & reformat. c. filiis 16. quæst. 7. Quorsum enim tot constitutiones principum editæ sunt de officio Sacerdotum, & disciplina Ecclesiastica, nisi eas executioni mandare possint? Quales per multa sunt Romanorum Imperatorum Lib. I. Cod. Justin. Sed multo plures extant principum Gallia antiquorum, & Caroli Magni præsertim. Ex quibus facile perspici potest, principem leges concedere posse, quibus Episcopi ceterique omnes Ecclesiæ ministri ad Canonum Ecclesiasticorum veterisque disciplinæ observationem in regno ac ditione sua compellantur. Eoque jure atque auctoritate post hominum memoriam usi fere sunt reges nostri, non tantum in Gallia sua Episcopos, sed in ipsos etiam Pontifices Rom. siquid in finibus Gallia adversus Canones & disciplinam ecclesiasticam moliri viderentur: & reliqua apud eum legenda.

Exempla Principum Christianorum.

Justinianus in Præfatione Novellæ CXXXVII. Si civiles leges, quarum potestatem nobis Deus credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus: quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum & divinarum legem custodiam, quæ super salute animarum nostrarum definita sunt? Et Cap. I. Si enim illa, quæ a laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem & vindictam manere: quomodo a Sanctis Apostolis & Patribus super omnium hominum salute canonicè statuta despici patiamur? Reve-

Revera ejusdem Justiniani Novella CXXIII. quæ est de sanctissimis Episcopis, Clericis, & Monachis, tota versatur in ordinanda externa politia Ecclesiæ: quod quam prono animo exceperint Sancti Episcopi, docet nos Concilium Parisiense sub Ludovico Pio celebratum an. 829. descriptum à Gratiano P. II. causa XXIV. quæst. 3. Cap. 6. De illicita excommunicatione Lex Justiniani Imperatoris Catholici, quam probat & servat Catholica Ecclesia, constitutione CXXXIII. decrevit, ut &c.

Ludovicus Pius Francorum Rex in suis Capitularibus: *Hæc sunt capitula quæ volumus, ut diligenter inquirant Missi nostri. Primo de Episcopis, quomodo suum ministerium expleant, & qualis sit illorum conversatio, vel quomodo Ecclesias & clerum sibi commissum ordinatum habeant atque dispositum. Deinde quales sint adjutores ministerii eorum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, & Presbyteri per Parochias eorum. Similiter de omnibus monasteriis inquirant &c. Utrum Episcopi in circumeundo Parochias suas ceteras Ecclesias minores gravent, aut populo oneri sint: & si ab ipsis, aut à ministris eorum indebita xenia a Presbyteris exigantur, &c.* Plura ejus generis Decreta Regia dabit Pithæus in Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Cap. XXXV. item Fevretus de *Abusu* Lib. I. Cap. 5.

Preuves
des Liber-
tez Tom.
I. p. 1255.

Joannes I. Lusitanorum Rex per suos Oratores ita protestatur in Concilio Constantiensi sess. XXII. *Cuilibet Regi Deus commisit gladium executionis ad vindictam malorum & protectionem bonorum: in qua includitur protectio catholicorum & Ecclesiæ Sanctæ Dei.*

Concil. T.
XVI. pag.
477.

Carolus VI. Rex Gallorum in eodem Concilio: *Nos attendentes quod ad stabilitatem Ecclesiæ est potestas Regia divinitus ordinata, & quod per regnum terrenum caeleste regnum tunc proficit, quando destruentes Ecclesiam Dei rigore Principum conteruntur: immo Sacri Canones quando talia per maiores perpatrantur, ad Reges docent habere recursum: & quod in illis de quibus notorie turbatur status Ecclesiæ, Papa non obedire consulunt sancti doctores, &c.*

Ibid. pag.
947.

Lectu etiam dignissima est Præfatio Caroli VII. in Pragmaticam Sanctionem, nec non Admonitio Parlamenti Gallici de abusibus Romanæ Curia, quæ extat ad calcem Operum Duareni.

LOCA SCRIPTURARUM.

Psal. II. 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: servite Domino in timore.* Consulatur Augustinus in locis infra citandis.

II. Paralipom. XIX. 8. *In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas & Sacerdotes & principes familiarum ex Israel, ut iudicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis dicens: omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, ubi cumque questio est de lege, de caeremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum.*

Parilipom. II. XXIV. 5. *Congregavitque Joas Sacerdotes & Levitas & dixit eis: Colligite de universo Israel pecuniam ad sartatecta templi Dei vestri, festinatòque hoc facite. Porro Levita egere negligentius. Vocavitque rex Jojadam principem, & dixit ei: Quare tibi non fuit cura, ut cogeres Levitas inferre de Juda pecuniam, quæ constituta est a Moyse servo Domini? Præcepit ergo rex & fecerunt arcam.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

August.
Tom. I. P.
II. p. 211.

Sanct. Augustinus in Epistula ad Emeritum 87. aliás 164. num. 7. *Terna potestate cum schismaticos persequuntur, eâ regulâ se defendunt qua dicit Apostolus Rom. XIII. 2. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit . . . Non enim frustra gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Rursus num. 8. At enim & malos Christianis non licet persequi? Esto, non licet: sed numquid hoc potestatibus ad hoc ipsum ordinatis fas est obicere? An Apostolum debebimus? An non habent codices vestri, quæ paulo ante commemoravi?*

Ibid. pag.
651.

Idem ad Bonifacium num. 19. *Quomodo ergo reges Deo serviunt in timore, nisi ea quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est: aliter quia etiam rex est . . . In hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Et paulo post: Quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat, in regno vestro quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus. Quibus dici non potest: Non ad vos pertineat, in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus?*

Aug. Tom.
IX. pag.
464.

Tom. I. P.
II. pag.
233.

Leo Tom.
I. pag. 337.
edit. Quef-
nel.

Idem Libro III. contra Cresconium Cap. 51. *In hoc reges, sicut eis divinitus precipitur, Deo serviunt in quantum reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam ad divinam religionem. Adde ejusdem Epistulam ad Vincentium Rogatistam, quæ est 93. alias 48. num. 9.*

S. Leo Papa I. in Epistula 125. ad Leonem Augustum, aliás 75. *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ presidium esse collatam: ut casus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas.*

Concil.
Gall. T.
II. p. 526.

S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis apud Gratianum P. II. *Causa XXIII. quæst. V. Cap. 20. Cognoscant Principes sæculi Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur: ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. Habetur etiam apud Ivonem P. XVI. Cap. 44. & apud Concilium Parisiense sub Ludovico Pio an. 829. Lib. II. Cap. 11.*

Socrat. p.
212. edit.
Vales.

Socrates in Præfatione Libri V. Histor. Ecclesiast. *Ipsos subinde Imperatores in hoc opere includimus, propterea quod ex quo illi Christiani esse cœperunt, ex illis pependerit res ecclesiasticæ.*

Euseb. p.
353.

Huc spectat quod Eusebius in vita Constantini Lib. I. Cap. 44. ipsum vocat *Communem Episcopum à Deo constitutum*, ob impensam nimirum Ecclesiæ & Episcopis curam.

Et idem Constantinus in veteri inscriptione *Religionis & Fidei auctor* dicitur. Quo modo Carolus Magnus *vera religionis Rectorem* vocant Patres Concilii Moguntini I,

PROPOSITIO IX.

Ecclesiasticis Judicibus potestate sua vel contra naturalem æquitatem vel contra canones abutentibus, Regum opem implorare ii possunt, qui vim & injuriam patiuntur. Quam agendi rationem a primis Ecclesiæ sæculis usitatam Hispani Recursum ad Principem, Galli Appellationem ab abusu non incongrue vocant.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

JOANNES Gerson in Tractatu circa materiam excommunicationum & irregularitatum Consil. X. Contemptus clavium etiam non semper invenitur apud illos, qui nedum non obediunt promulgatis per Papam vel suos: sed etiam non est judicandus esse apud illos, qui per potestatem secularem adversus tales præsentas sententias tueri se procurant. Lex enim naturalis dicitur, ut possit vis vi repelli: constat autem quod tales excommunicationes non debent dici jus, sed vis & violentia, contra quam fas habet liber vel homo vel animus se tueri.

Gerson. T.
II. p. 423.

Idem in Discussionem illius propositionis, *Sententia Pastoris etiam injusta timenda est & tenenda*, in hunc modum scribit. *Hæc assertio falsa est: quoniam stat aliquas sententias Pastoris vel Papæ non esse tenendas, immo nec timendas, dum sunt injustæ. Ut si excommunicare velit illos, qui suo Regi & suis edictis rationabilibus obediunt. Notavit hoc Innocentius ubi prius, & habetur fundamentaliter ex infallibili lege divina & naturali, cujus deductionem hic omittimus.*

Ibid. pag.
425.

Antonius Corduba ex Ordine Minorum Tridentini Concilii Theologus Lib. IX. quæst. 10. dist. 3. *Ubi Papa potestate abutitur, Episcopi resistere possunt: & si hoc non sufficit, possunt implorare Principes seculares, ut eorum auctoritate & potentia resistent vi & armis, non per viam jurisdictionis in Papam, sed jure defensionis: & comprehendant & puniant executores mandatorum, sive ministros. Et infra: Neque excommunicatio aut alia censura a Papa inflicta quidquam valet, neque tenenda neque timenda: quia sicut mandatum ejus, ita & ipsa sententia jam notorie injusta ex parte causæ, & ipso facto nulla neque tenenda neque timenda est.*

Apud Goldastum T.
III. p. 336.

Didacus Covarruvias Episcopus Segoviensis in Practicis Questionibus Cap. XXXV. *In hac Regia & Castellana Republica illud observantissimum est, & diu obtinuit a tempore, quod memoriam hominum excedit, posse ab his, qui a Judicibus Ecclesiasticis vi & censuris opprimuntur, Regios auditores & consiliarios omnino adiri, ut vim auferant & compellant judices Ecclesiasticos ab ea inferenda cessare. Extat inter hujus Regni Leges Lex Regia 5. tit. 1. lib. 2. ordin. (hodie lib. 2. tit. 6. lib. 1. Recop.) Expeditorque constat instructio, quam Regium*

Covarruv.
T. II. pag.
650. &
seqq. Ge-
nev. 1623.

decretum exhibuit an. Domini 1548. qua & modo utimur, & olim item usi fuere Regii conciliarii. Hunc morem postquam multis rationibus licitum ostendisset Covarruvias, ad extremum hæc idem observat in eodem loco: *Quod si quis contendat a Principibus secularibus hanc tollere potestatem, statim non quidem sero comperiet experimento manifestissimo, quantum calamitatis Reipublicæ invexerit.* Addit hunc forensium usum vigere non solum in Hispania, sed & apud Gallos, aliosque Christianæ Reipublicæ seculares Principes: cujus rei testem laudat cum aliis Martinum Navarrum in Cap. cum contingat, de Rescriptis.

Apud Fe-
vret Tom.
I. pag. 21.

Dominus de Foix Archiepiscopus Tolosanus, an. 1582. occasione cujusdam appellationis ab abusu in Parisiensi Curia susceptæ, Romano Pontifici Gregorio XIII. Bullam cœnæ tunc temporis strenue urgenti dicere non dubitavit: *si quid in Gallia esset, quod post Deum illasam ibi conservaret jurisdictionem Ecclesiasticam, auctoritatemque Apostolicam sedis, & ipsam fidem ac religionem catholicam: id vero esse usum Curiarum Regiarum, cum appellationes ab abusu supremo judicio decidebant. Has vero appellationes maiore æquitate niti, quam vulgo credi soleret: earumque usum Gallorum pectoribus ita esse infixum, ut facilius foret Appenninum ab Italia, quam hujusmodi appellationes a Gallis ipsis evelii.*

Ibid. pag.
20.

Bruno Chassaingus Ordinis Minorum Gregorii XV. & Urbani VIII. Pœnitentiarius in Tractatu de Privilegiis Regularium: *Potest appellari legitime ab abusu ad Principes seculares seu ad Senatum supremum, quotiescumque potestas Ecclesiastica pronuntiat aut agit contra canones, aut privilegia Regularium, potestque aut Princeps aut Senatus appellationem suscipere, ut à violenta vexatione eripiantur.*

Marca
pag. 201.

Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis Lib. IV. de Concordia Cap. II. num. 3. *Principes non solum lege generaliter lata canones adversus novitates vindicabant, sed etiam specialiter injuriam illatam in judiciis canonicis per canonum violationem decretis suis resarciebant, si quis ad eos querelam suam deferret. Cui ex officio incumbabant, non solum quod canonum custodia illis commissa esset, sed etiam quod civium & præcipue clericorum patrociniū, & tranquillitatis publicæ cura ad eos spectaret.*

Natal.
Tom. IV.
pag. 290.

Natalis Alexander Ordinis Prædicatorum Dissert. XXI. sac. IV. *Reges tenentur procurare Christianæ Reipublicæ pacem ac tranquillitatem, qua Reges Christiani sunt: atqui pax & tranquillitas Christianæ Reipublicæ procurari non potest absque executione canonum & Ecclesiasticæ disciplinæ, ac multo minus sine juris naturalis observantia: Reges itaque tenentur prospicere executioni canonum & observationi juris naturalis: ac proinde si illos infringant, illudque violent Ecclesiastici iudices, Princeps legitime appellatur. Lege reliqua quæ sequuntur.*

Anonymus Scholiastes Operum Bossueti ad Libri XI. Cap. 21. *Ex quo concilia nulla celebrantur, necesse est recurri interdum ad Regem, cum potestas ecclesiastica abutitur notorie suâ jurisdictione. Rex enim ecclesiasticæ disciplinæ sui regni est ipso regio jure protector & defensor; ac præterea eos omnes ex suis subditis tueri debet, qui abusu cujusquam potestatis etiam ecclesiasticæ opprimerentur. Qui autem appellat ab abusu, tutus erit ab omni culpa; cum id tantum agat, ne innocens indefensus condemnetur.*

De eodem argumento duos Tractatus nuper in lucem edidit celeberrimus canonum Interpres Bernardus Vanespenius, quorum primus est de Concordia immunitatis Ecclesiasticæ & juris Regii: secundus de Recursu ad Principem. Legi etiam dignus est Carolus Fevretus de Abusu Lib. I. Cap. III. & Lib. IV. Cap. II.

Quæ

Quæ autem adversus hujusmodi appellationes *ab abusu* ante annos quadraginta Petro de Marca obiecit Franciscus Antonius de Simeonibus Romanus Theologus, in secunda Parte Operis Romæ editi an. 1717. *de Romani Pontificis Judiciaria Potestate*: ea nos imperite, ne dicamus malâ fide ab eo obiecta pronunciamus.

Exempla Regum Christianorum.

Cum Joannes Antiochenus de violatis canonibus in Ephesina synodo apud Theodosium Imperatorem conquestus esset, Theodosius ipse œcumenicæ synodi Acta omnia rescindens, misso in Ephesum Palladio Magistrano Episcopis imperat, ut omnia juxta canones ejusque divalem Sacram denuo tractent. *Neque enim, inquit, pietas nostra equo fert animo præjudicia de industria præsumpta: quin immo quæ gesta sunt usque adeo agre fert, ut donec pietatis dogmata ab universa synodo fuerint examinata, & quispiam è nostro palatio destinetur, qui nostro jussu quæ acta sunt cognoscat, & quæ legitimo ordini dissentanea sunt, prohibeat, neminem Episcoporum ab Ephesiorum civitate abscedere, vel ad sacrum nostrum comitatum venire, vel in suam patriam reverti, ullatenus sit passura.* Vide Marcam Lib. IV. Cap. III. num 6.

Concil.
Tom. III,
pag. 1235.

Quam crebro de violatis canonibus interpellatus fuerit sexto sæculo Justinianus Imperator, ipse non semel declarat. Ut Novella CXXXVII. *Sane cum hætenus canones observati non recte fuerint, nos diversas ex eo passi sumus interpellationes contra Clericos & Monachos & quosdam Episcopos, qui secundum divinos canones non viverent.* Et Novella LVI. *Plurimas aditiones suscipientes, hanc legem dirigere ad tuam beatudinem justum existimavimus. Qui enim ordinantur à tua reverentia Clerici in sanctissimis Ecclesiis omnium patiuntur crudelissima, non suscipientibus eos illic Ecclesiis, antequam quantum voluerint, accipiant aurum: & novimus hoc ex frequentibus aditionibus de hoc factis nobis. Sancimus igitur &c.* Prior data est ad Petrum Magistrum Officiorum, secunda ad Mennam CP. Episcopum.

Insignis etiam est Novella XVII. Cap. XI. Ubi Imperator Tribonianum Quæstorem Sacri Palatii sic adloquitur: *Neque occasione religionum heresumque questionis permitas alicui provinciam commovere, aut aliter quandam preceptionem injungi provincie cui præsides. Ipse vero providebis cum competenti utilitate fiscalibus, & quæ alia sunt perscrutari, & non permittere fieri aliquid contra nostras preceptiones occasione religionum. Si vero Canonicum sit quod quæritur (observa diligenter) una cum Metropolita provincie hoc disponere & decernere, sive Episcopi dubitent, sive alii quidam: & causa dare Deo amabilem & decibilem terminum, qui & decenter orthodoxam custodiat fidem, & indemnitatem procuret fiscalibus, & nostros subiectos servet inviolatos.*

Carolus Magnus in Capitularibus an. 810. *Volumus ut neque Abbates, neque Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque quilibet de Clero, de personis suis ad publica vel ad secularia judicia trahantur vel distringantur, sed a suis Episcopis judicati justitiam faciant. Si autem de possessionibus sive Ecclesiasticis sive suis propriis super eos clamor ad judicem venerit, mittat judex clamantem cum Misso suo ad Episcopum: ut faciat ei per advocatum justitiam percipere. Si vero talis aliqua inter eos exorta fuerit contentio, quam per se pacificare non velint aut non possint, tunc per advocatum Episcopi, qualem lex jusserit, causa*

Capitular.
Tom. I. p.
355.

causa ipsa ante comitem vel iudicem veniat, & ibi secundum legem finiatur.

Preuves
des Liber-
tez Tom.
I. p. 257.

Guillelmus de Nogareto & Guillelmus de Plaffiano Procuratores Philippi Pulchri Francorum Regis in Libello ad Clementem V. Romanum Pontificem: *Item certum, notorium, & indubitatum existit, quod cum Prælati vel eorum Officiales, per jurisdictionem suam spirituales impediunt & perturbant jurisdictionem temporalem, notorie sic quod negari non potest, dominus Rex prædictus de antiqua consuetudine dicti Regni, quia spiritualitatem Prælatorum coercere non debet, distringere potest temporalitatem talium Prælatorum, quousque cessent ab impedimento prædicto.* Legantur reliqua apud Pithæum.

Apud Fe-
vret. de A-
busu Tom.
II. p. 300.

Acta Philippi Valesii Regis Gallorum an. 1329. *Tunc respondit dictus Dominus Petrus pro Domino Rege, quod placebat Regi, si Prælati emendarent ea quæ essent emendanda & corrigenda, Dominus Rex expectaret usque ad festum Nativitatis Domini proximum venturum, infra quem terminum nihil innovaret. Et si intra dictum terminum Prælati non emendassent emendanda, vel correxissent corrigenda, Dominus Rex apponeret tale remedium, quod esset gratum Deo & populo.*

Preuves
de Liber-
tez Tom.
I. p. 254.

Rursus Procuratores Philippi Pulchri in Libello superius memorato: *Item certum est, notorium & indubitatum, quod de hereditatibus, & rebus, & juribus immobilibus, ad jus temporale spectantibus quibuscumque, sive petitorio agatur vel possessorio, sive pertineat ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, vel dominos temporales, agendo & defendendo: cognitio pertinet ad curiam temporalem, specialiter autem domini Regis ipsius.*

Venesp.
Tom. III.
pag. 15.
Fevret.
Tom. I.
pag. 19.

Eandem consuetudinem in plerisque Regnis catholicis vigere, supra ex Covarruvia audivimus: idque expresse de Hispanis, Lusitanis, Germanis, Belgis, Pedemontanis, Polonis, Neapolitanis, testatur Vanespenius de *Concordia immunitatis Eccles. & jur. Regii*, Cap. II. & Fevretus de *Abusu* Lib. I. Cap. III.

LOCA SCRIPTURARUM.

Actor. XXV. 5. *Invenimus hunc hominem pestiferum & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum: qui etiam templum violare conatus est.*

Ibidem XXV. 8. *Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me? Dixit autem Paulus: ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Cæsarem appello.* Hæc Paulus a Judæis Sacerdotibus inque oppressus falsoque accusatus non solum de maiestate, sed etiam de religione: primum non detrectat iudicium & cognitionem Felicis Romani Præsidis: immo causæ suæ illum legitimum & competentem iudicem agnoscit. *Respondit autem Paulus: (annuente sibi Præsidi dicere) Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens bono animo pro me satisfaciam.* Deinde injuriam sibi fieri animadvertens a Festo Felicis successore, Cæsarem appellat: illumque proinde, ut ceterorum civium Romanorum, ita suum quoque iudicem ac principem, ubi de vi sibi illata ageretur, agnoscit. *Ad tribunal Cæsaris sto: ibi me oportet judicari: Cæsarem appello.* Augustinus Epist. 185. num. 28. *Romanas etiam leges implorare minime dubitavit Pau-*

August.
Tom. I. P.
II. pag.
655.

Paulus, civem Romanum se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemque ne Judæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris poposcit auxilium, Romani quidem principis, sed non Christiani. Ubi satis ostendit, quid facere postea deberent Christi dispensatores, quando Imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirent.

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

SAnct. Athanasius an. 335. a synodo Tyria vim & injuriam passus: (nam contra omne jus fasque, immo contra ipsius juris naturalis præscriptum à recusatione hostium suorum exciderat, & absens fuerat condemnatus ab Episcopis sibi suspectissimis & infensissimis) Constantinum Imperatorem adiit rogans eum, ut ipse vel per se, vel per novam Episcoporum synodum causam & innocentiam suam examinaret. Id attestatur synodus Ægyptiaca apud eundem Athanasium in Apologia contra Arianos num. 9. *Episcopus quidem Athanasius ut vim sibi illatam effugeret, Imperatorem adit, rogans ut legitima Episcoporum synodus cogeretur, aut ipse Imperator de obiectis criminibus sese purgantem audiret.* Attestatur & ipse Constantinus cum apud Socratem Lib. I. Cap. 34. tum apud ipsum Athanasium in eadem Apologia num. 86. *Maiore cum fiducia ille nihil se postulare dixit, quam ut vos huc concedere juberem: quo presentibus vobis de illatis sibi injuriis posset conqueri, coram me scilicet, quem sincerum Dei famulum esse ne vos quidem ipsi inficias ire potestis.*

Athanas. pag. 131.

Socrat. pag. 58. edit. Vales. Athanas. pag. 202.

Monachi Ægyptii ob prætensum crimen Origenianæ doctrinæ a Theophilo Alexandrino Episcopo exilio multati, & Ecclesiastica communione privati, Arcadium Imperatorem appellarunt, a quo rescriptum impetrarunt, ut coram S. Joanne Chrysofomo Regiæ urbis Episcopo causam suam Theophilus diceret. Testatur id Chrysofomus in Epistula ad ipsum Theophilum apud Palladium: *Eo desperationis homines hujusmodi devenere, ut scripto te accusent: ceterum quod tibi videtur, rescribe. Non enim me audiunt, ut a comitatu discedant.* Pergit ipse Palladius: *Cum libellos obtulissent Augustis, admissa est postulatio, qua hoc responsum tulit: ut Theophilus volens nolens, exhibitus per Magistrum coram Joanne causam diceret. Sic igitur Alexandriam missus est Elaphius, qui nunc ex Principibus est, ut Theophilum adduceret: reliqua responsi Imperialis Præfecti sunt executi.*

Chrysof. Tom. XIII. edit. Mon fac. pag. 25.

Ipsè Joannes Chrysofomus paulo post in synodo ad Quercum illegitime damnatus & depositus ab eodem Theophilo, Arcadium adiit, ut vim sibi illatam contra canones sua auctoritate prohiberet. Constat id ex Epistula ejusdem Chrysofomi ad Innocentium Papam I. quam post Bigotium edidit Petrus Coustantinus Benedictinus in Collectione Epistularum Decretalium, post Coustancium Joannes Dominicus Mansius in Nova Collectione Conciliorum Florentiæ adornata: in qua Epistula refert primum Chrysofomus, quid adversus Theophilum egerint monachi Ægyptii. *Theophilus Alexandrinæ Ecclesiæ antistes, cum a quibusdam apud piissimum Imperatorem insimularetur, jussus ut veniret solus &c.* Et mox: *Cum vero ne sic quidem dicere causam vellet, urgerentque ejus accusatores: nos evocavit piissimus Imperator, ejusque causam audire jussit. Nam & irruptionem, & cades, & alia innumera obiiciebant.* Deinde ad suam cum Theophilo causam progressus hæc memorat Chry-

Constant. pag. 775. Mansi Concil. T. III. pag. 1081. & 1084. & 1085.

sof-

Iostomus: *Et quid opus est multis? non destitit Theophilus omnia facere ac moliri, donec nos per vim ac summam potestatem e civitate atque Ecclesia eiecit. Ingressi igitur obsecrabamus piissimum Imperatorem, ut ad vindictam eorum qua patrata erant, synodum cogeret. Consciis factorum suorum Theophilus & reprehensionem veritus, cum Imperatoris litera in omnem partem missa undecumque omnes cogerent, occulte media nocte in navim se coniciens aufugit. Porro nos conscientia nostra freti, neque sic destitimus iterum rogare religiosissimum Imperatorem. Qui pro sua pietate ad eum denuo misit, ut ex Aegypto cum omnibus suis venire maturaret gestorum rationem redditurus.*

Concil. Tom. III. pag. 385. edit. Nicolai. Colet. Concilium Milevitanum II. an. 416. Canon. XIX. *Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur. Si autem episcopale iudicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit.*

Cocil. Tom. IV. pag. 1630. Eunomius Episcopus Nicomediensis in Libello ad Imperatores, qui in Concilio Chalcedonensi recitatus extat Actione XIII. *Deus vobis regnum & omnium rerum imperium ad salutem orbis terrarum & pacem sanctarum Ecclesiarum, juste donavit. Unde posternimus nos maiestatis vestrae vestigiis, ut jubeatis arceri injustitiam qua adversum nos a reverendissimo Episcopo Nicano Anastasio est praesumpta.*

Ibid. pag. 868. Eusebius Episcopus Dorylaei in Libello ad eosdem Imperatores qui in Concilio etiam Chalcedonensi est lectus Act. I. *Intentio & propositum est clementiae vestrae, universis quidem sibi subditis providere, & manum porrigere omnibus injuste oppressis, praecipue tamen fungentibus sacerdotio: in hoc divinitati placentes, a qua vobis imperare & dominari sub hoc sole donatum est. Ergo quoniam multa & dira sumus perpeffi a reverendissimo Dioscoro Alexandria Episcopo, adimus vestram pietatem supplicantes justitiam promereri.*

Concil. Tom. III. pag. 1358. In Concilio Ephesino cum gravis contentio orta esset, in qua Joannes Antiochenus Patriarcha cum suis orientalibus Episcopis ab ipsis Ephesinis Patribus dissidebat, re ad Theodosium Imperatorem delata, fatentur in libello suo Orientales, posse *questionem de rebus controversis discuti vel apud piissimum Principem, vel in Sacro Consistorio, vel apud Sacrum Senatam, vel in synodo Patrum.* Concilium Parisiense V. sub Clotario II. Francorum Rege, an. 615. *Siquis Clericus pro qualibet causa Principem expetierit, & cum ipsius Principis epistula ad Episcopum suum fuerit reversus, excusatus recipiatur.*

Concil. Tom. IX. pag. 102. Synodus Francofordiensis an. 794. celebrata sub Carolo Magno, praesentibus legatis Apostolicae Sedis, in eaque residentibus quamplurimis Episcopis Italiae, Galliae, ac Germaniae, can. VI. *Statutum a domno Rege & sancta synodo, ut episcopi justitias faciant in suis parochiis. Si non obedierit aliqua persona episcopo suo de abbatibus, presbyteris, diaconibus, & ceteris clericis, veniant ad metropolitanum suum & ille dijudicet causam cum suffraganeis suis: comites quoque nostri veniant ad iudicium episcoporum. Et si aliquid est, quod episcopus metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum literis metropolitani, ut sciamus veritatem rei.*

Concilium Toletanum IX. an. 655. apud Gratianum P. II. Causa XVI. quaest. 7. *Filiis vel nepotibus ac honestioribus propinquis ejus, qui construxit vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonae intentionis habere solertiam; ut si sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus praeviderint defraudare: aut commonitionis honesta conventionem compefscant, aut Episcopo vel Judici corrigenda denuntient. Quod si talia*
Episco-

Episcopus agere tentet, Metropolitanus ejus insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hac auribus intimare non differant.

Confectarium doctrinae praecedentis, ubi agitur de Bulla Cenae.

EX testimoniis Doctorum Catholicorum supra commemoratis planum fit, in nullis fere regnis catholicis usu receptam esse Bullam Cenae quoad ea capita, quae attingunt exercitium auctoritatis laicae in suscipiendis appellationibus ab abusu. De quo praeter superiora documenta illud est maxime memorandum, quod in vita Philippi II. Hispaniarum Regis scribit Ludovicus Cabrera Lib. XIII. Cap. 12. nempe an. 1582. illius Bullae promulgationi adeo intercessisse Regem, ut Apostolicum Legatum ejus publicationem & executionem contentiosissime urgentem, Rex graviter commotus currui impositum de regnis suis exire jufferit. Eiusdem Bullae promulgationi & executioni per idem tempus strenue resistere Rodolphus II. Imperator, Curia Parisiensis, & Resp. Veneta: ut auctor est Pithaeus in *Probationibus Libertatum Gallicanarum* Cap. VII. Tom. I. pag. 323. Sed leges quascumque praesertim Ecclesiasticas, quae non fidem, sed externam tantum politiam spectant, ubi populorum consensu & usu receptae non sunt, obligandi vim non habere, constans & receptissima doctrina est Catholicorum Scriptorum. Gratianus Decreti Parte I. Dist. IV. Cap. 3. *Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullae leges hodie abrogatae sunt: ita moribus utentium ipsae leges confirmantur.* Et rursus Cap. 6. *Hae & si legibus constituta sunt, tamen quia communi usu approbata non sunt, se non observantes transgressionis reos non arguunt.*

Joannes Gerson in Libro de *Vita spirituali* Lect. IV. Corollar. 13. *Positum est in Decretis dist. IV. quod leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur. Igitur per argumentum a contrario sensu: si moribus utentium nequaquam approbantur, ille nullum habent firmamentum, & ita populus habet multum in sua potestate dare robur legibus aut tollere, praesertim ab initio.*

Gerson.
Tom. III.
pag. 46.

Nicolaus de Cusa Cardinalis Lib. II. de Concordantia catholica Cap. 9. *Quicumque ille fuerit, aut Papa aut Patriarcha, non possunt illa statuta vocari, & nihil habent firmitatis, nisi in quantum per acceptationem & usum seu consensum confirmantur.* Et Cap. 10. *Vigor particularium statutorum quoad hoc ut subditi per ea ligentur, requirit usum & acceptationem. Unde usu leges firmantur, & utentium moribus approbantur.* IV. Dist. Et hoc etiam verum in statutis Romani Pontificis, quae per non usum vigorem perdunt, ut ibidem probatur in cap. *Statuimus* & cap. *Denique.* Et cap. II. *Ad hoc quod statutum Romani Pontificis liget, non sufficit quod sit publice promulgatum: sed oportet quod acceptetur, & per usum approbetur secundum superiora, & ea que notantur de constit. super rubrica, ubi dicitur per Doct. quod ad validitatem statuti tria sunt necessaria: potestas in statuente, approbatio statuti per usum, & ejusdem publicatio. Unde videmus innumera Apostolica statuta etiam a principio postquam edita fuere, non fuisse acceptata. In quibus omnibus regula est quae habetur IV. Dist. 5. Hae*

Cusa pag.
723. &
seq.

& si legibus sint, quia communi usu approbata non sunt, se non observantes transgressionis reos non arguunt.

Marca
pag. 114.

Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis Lib. II. de Concord. Cap. XVI. num. 5. *Leges Ecclesiasticae eadem tacita conditione qua civiles adstringuntur, scilicet ut parendi necessitate Christianos non teneant, donec usu sint receptae. Hæc est non solum Gallorum omnium, sed etiam celeberrimorum quorumque Doctorum sententia, quam trahunt e Gratiano. Citat vero ad marginem Gersonem, Covarruviam, Navarum, Joannem Maiorem, Driedonem, Armillam, & Angelum.*

PROPOSITIO X.

Regiæ Potestati in temporalibus æque subduntur clerici ac laici: æque Episcopi, ac minores clerici.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

Argentæus
Tom. II. P. II.
pag. 211.

SACRA Facultas Parisiensis an. 1626. mense Aprili doctrinam illam, qua Antonius Sanctarellus Jesuita in Tractatu de Hæresi adferebat, *Apostolos subiectos fuisse Principibus secularibus de facto, non de jure: improbavit & damnavit, tamquam novam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificis dignitati odium conciliantem, suprema Regum auctoritati a Deo solo dependenti derogantem, pacis publicæ perturbatricem, subditos ab obedientia & subiectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem.* Interfuere huic Sæcræ Facultatis Decreto cum aliis quam plurimis celeberrimi Doctores Filesacus & Ysambertus.

Bossuet.
Tom. I.
pag. 364.

Jacobus Benignus Bossuetus Episcopus Meldensis in Defensione Declarat Cler. Gall. Lib. IV. Cap. 28. *Quis e Scholasticis, aut vero e Canonistis postremi ævi non id docuit: Clericos nullo modo Principibus esse subditos? Tantâ publici juris ignorantia tenebantur! At nunc quotusquisque est, non dico Clericorum, sed Religiosorum, Episcoporum, etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui non se subditos suis Regibus fateantur, salvo privilegio ordini suo Ecclesiæ auctoritate concessis, & publica Regnorum lege firmatis?*

LOCA SCRIPTURARUM.

Ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo.*

Ad Tit. III. 1. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.*

I. Petri II. 13. *Subiecti estote omni humane creaturæ propter Deum: sive regi quasi præcellenti: sive ducibus tamquam ab eo missis.*

Proba-

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

S. Policarpus Smyrnenfis Episcopus, idemque Joannis Evangelistæ discipulus apud Eusebium die IV. Cap. 15. Proconsuli ita loquitur: *Tibi quidem rationem reddere non me piget. Præceptum enim nobis est ut magistratibus & potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus.*

Euseb. p.
105.

Tertullianus in Libro adversus Scapulam Cap. 2. *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit; ut hominem à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consecutum & solo Deo minore.* Idem in Apologetico Cap. 32. *Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit, ideoque & salvum esse volumus quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus.* Et mox Cap. 33. *Sed quid ego amplius de religione atque pietate Christiana in Imperatorem? Quem necesse est ut suspiciamus, ut eum quem Deus noster elegit. Et merito dixerim, noster est magis Cæsar, à nostro Deo constitutus.*

Tertull. p.
69.
Ibid. p.28.

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus in Apologia ad Constantium Imper. num. 19. *Nequaquam obstiti pietatis tuæ mandato, absit: non tanti quippe sum, ut obstitam vel Quæstori urbis, nedum tanto Imperatori.* Rursus num. 26. *Pietatis tuæ mandato minime repugnaui: neque Alexandriam ingredi conabor, donec humanitati tuæ id placuerit.*

Athanas.
pag. 307.
Ibid. pag.
511.

S. Eusebius Samosatensis Episcopus & Martyr à Valente Imperatore in exilium missus, cum ei cives sui persuadere conarentur ut remaneret, nec gregem suum lupis exponeret: *Legem Apostolicam eis recitavit, quæ diserte præcepit obediendum esse magistratibus ac potestatibus: & paucis quibusdam rebus ab iis qui ipsi magis familiares erant acceptis, ad Istrum perrexit.*

Apud.
Theodo-
retum
Lib. IV.
Cap. 14. p.
167.

S. Lucifer Episcopus Calaritanus in Libro de non parcendo delinquentibus in Deum, Constantium Imperatorem ad loquens: *Quia dicas nos debere tibi obsequia, scito quia non tibi soli, sed & omnibus nos in sublimitate degentibus novimus esse debitores. Dicit enim Apostolus: Admone illos Principibus & Magistratibus subditos esse, obediens, ad omne opus bonum paratos. Admonet ergo nos esse debere subditos in bonis operibus, non in malis.*

Bibl. PP.
Tom. IV.
pag. 240.

S. Gregorius Nazianzenus Episcopus in Oratione ad Cives suos XVII. *Nobis etiam præscribitur, ut sublimioribus potestatibus pareamus, ut qui tributo pendendo simus obnoxii.*

Nazianz.
Tom. I. p.
207.

S. Joannes Chrysostomus Episcopus CPnus Homil. XXIII. in Epist. ad Romanos: *Ostendit quod ista imperentur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solum secularibus: id quod statim in ipso initio declarat, cum dicit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: etiamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, sive Propheta, sive quisque tandem fuerit: neque eum pietatem subvertit ista subiectio.* Paulo infra observat Chrysostomus, ideo hanc doctrinam inculcasse Paulum, ut ab animis gentilium Imperatorum & Magistratum falsam illam opinionem eximeret, qua illi existimabant, Apostolos ceterosque Religionis Christianæ professores seditiosos & novarum rerum auctores esse, qui ad legum imperialium everisionem omnia facerent & dicerent. Tum illud addit: *Cum ostendes, communem Dominum nostrum suis omnibus præcipere Magistratibus obedire, ora eorum obstrues, qui Apostolos ut novatores traducebant.* Et infra. *Si tum cum principes gentiles essent, hoc præcepit: multo magis nunc cum fideles sunt, hoc præceptum tantum est.*

Chrysost.
Tom. IX.
pag. 688.

Ibid. pag.
687.

Ibid. pag.
689.

- Theodor. Tom. III. pag. 99. Theodoretus Episcopus Cyri in Commentariis ad eundem Pauli locum: *Sive est sacerdos aliquis, sive antistes, sive monasticam vitam professus, iis cedat, quibus mandati sunt principatus. Planum est autem, si cum pietate.*
- August. Tom. IV. pag. 1359. S. Augustinus Episcopus Hipponensis in Plal. XXXI. num. 1. *Quid Christiani laserunt regna terrena, quamvis eis Regnum Cælorum promisit rex eorum? Numquid eorum rex militibus suis prohibuit impendere & exhibere quæ debentur regibus terræ? Nonne unus militum ejus & dilectissimus comes ejus commilitionibus suis, & quodammodo Christi Provincialibus dixit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit?*
- Tom. VI. pag. 287. Idem in Libro de Catechizandis rudibus num. 37. *Dicit Apostolica doctrina, ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & reddantur omnibus omnia: cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, & cetera: quæ salvo Dei nostri cultu constitutionis humane Principibus reddimus: quando & ipse Dominus, ut nobis præberet exemplum, tributum solvere non dedignatus est.*
- Conciliar. Tom. V. pag. 309. S. Gelasius Papa I. in Epistula ad Anastasium Imperatorem: *Quantum ad ordinem pertinet publica disciplina, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites.*
- Ibid. pag. 428. S. Symmachus Papa I. in Epistula ad Anastasium eundem: *Fortassis dicturus es, scriptum esse, Omni potestati subditos nos esse debere. Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te.*
- Gregor. Lib. III. Epist. 65. alias 62. Tom. II. pag. 677. S. Gregorius Papa I. in Epistula ad Imperatorem Mauritium: *Ego jussioni subietus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci. Et ibidem: Potestas super omnes homines Dominorum meorum Pietati calitus data est. Paulo post Deum inducit Mauritio dicentem: Ego Sacerdotes meos tuae manui commisi. Addit & illud: Utrobique ergo quæ debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo minime tacui. Et in aliâ Epistulâ de eodem negotio agens: Valde durum mihi videtur, ut ab ejus servitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit.*
- Ibid. pag. 678. S. Leo Papa IV. in Epistula ad Lotharium Imperatorem apud Gratianum P. I. Dist. X. Cap. 9. *De Capitulis vel præceptis Imperialibus vestris irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mentiri. Sic ævo illo scribebant & loquebantur Pontifices Maximi, cum Roma sub ditione Imperatorum erat. Scimus quàm hoc Leonis Papæ dictum tum Romanos Gratiani Correctores in Notis ad hunc locum, tum Baronium in Annalibus torqueat. Sed utique licet repugnantibus, veritatem in bono lumine collocavit Illustris Baluzius in Præfatione ad Capitularia Regum Francorum num. XXIII. ubi & interpretationem adducit Bartholomæi Brixienfis Canonistæ antiquissimi & celeberrimi, quæ talis est: Lotharius audiverat, quod Leo Papa volebat servare leges imperiales. Unde interrogavit de hoc Papam an esset verum. Quare Leo scribit ei, & dicit, quod ipse vult leges observare irrefragabiliter; & qui aliter dicit, mendax est. Confer Grotium in Libro de Imperio Summarum Potestatum Circa Sacra, Cap. II. §. 7.*
- Grot. T. II. p. 211.

His addere liceat Epistulam Petri [Blesensis XL. contra detractorem Regis, quæ ad Archidiaconum quendam scripta est. Item veterem Formulam sponfionis, quâ se Regibus obstringebant Episcopi Galli sæculo IX. Hæc autem talis erat: *Ego Hincmarus Ecclesie Laudunensis Episcopus, amodo & deinceps domino meo Carolo Regi sic fidelis & obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, & Episcopus per rectum suo Regi esse debet.* Cujus generis plures inquirantibus dabit Pithæus in Probationibus Libertatum Gallicarum Cap. XVII.

Blesens. p. 60.

Concil. Gall. Tom. III. p. 386.

Preuves des Libertez Tom. I. p. 651. & seqq.

Confectaria doctrinæ præcedentis.

I. **E**X dictis nemo non agnoscit, totam Ecclesiasticam antiquitatem in id conspirasse, ut crederet ac doceret, præceptis Apostolicis de obedientia Regibus & Magistratibus debita æque Sacerdotes ac laicos, æque Antistites ac minores Clericos comprehendere. II. Manifestam vim dictis Apostolicis inferre, & unanimi Sanctorum Patrum Traditioni repugnare eos, qui cum Bellarmino & Justiniano Jesuitis Apostolorum doctrinam sic explicant, ut omnes quidem sublimioribus potestatibus parere debeant, sed Clerici solis Ecclesiasticis, laici vero etiam sæcularibus. III. Pæne joculare, certè Apostolica simplicitate parum dignum videri id, quod in Cap. *Solita* de Maioritate & Obedientia scribit Innocentius III. nempe *si per hoc quod Petrus dixit, subditi estote omni humanæ creaturæ, Sacerdotibus voluit imponere jugum subiectionis, & eis prælationis auctoritatem asserere, quibus subiectos esse monebat: sequi ex hoc quod etiam servus quilibet in Sacerdotes imperium accepisset cum dicatur: Omni humanæ creaturæ.* Joculare, inquam, illud videtur, & Apostolica simplicitate indignum: cum Petri verba eum sensum apertum & obvium præ se ferant, quo docemur, homini cuicumque in Republica legitimam potestatem habenti subditos omnes esse debere, tum Clericos, tum laicos, *sive Regi tamquam præcellentiori, sive ducibus ab eo missis.*

Argum. Tom. II. P. II. pag. 1. Tom. I. p. 177.

Richard. T. I. p. 337.

Richard. T. I. p. 304.

Argum. Tom. II. P. II. pag. 1.

PROPOSITIO XI.

Divina lege prohibentur omnes & singuli subditorum in Reges etiam improbissimos aliquid quovis prætectu moliri aut agere: ita ut nefarii sacrilegii reus sit apud Deum, quisquis sacrosanctas Regum personas vel illorum maiestatem violare audeat.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

Thom. T.
XVII. P.I.
fol. 163.

SANCT. THOMAS DOCTOR ANGELICUS IN LIBRO I. AD REGEM CYPRI, CAP. 6. *Si sit intolerabilis excessus huiusmodi, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculo mortis. Sed hoc Apostolica doctrina non congruit. Docet enim nos Petrus, non solum bonis & modestis, verum etiam discolis dominis reverenter subditos esse. Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustineat quis injustitias patiens injuste. Unde cum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannice, non resistendo, sed mortem patienter & armati sustinentes pro Christo laudantur. Et mox: Effet autem hoc multitudini periculosum, & ejus rectoribus, si privata presumptione aliqui attentassent presidentium necem etiam tyrannorum.* Priores duos libros ad Regem Cypri genuinum fetum Angelici Doctoris esse, tot codicibus Mss. totque antiquis scriptoribus suffragantibus, pro certo atque indubitato habemus, secuti doctissimum Echardum in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum.

Echard. T.
I. pag. 337.

Gerfon.
T. I. P.
304.

Joannes Gerfon Cancellarius Academiæ Parisiensis, in Sermone contra errores Joannis Parvi de illa propositione agens a Facultate Parisiensi ante damnata: *Quilibet tyrannus potest & debet licite occidi per quemcumque vassalum suum vel subditum: in hunc modum scribit: Fundabatur undecima ratio exaggerando, quod hæc adsertio se præjudicialem ostendit ad omne genus creaturarum active & passive, licet contracte poni videatur. Extendit se ad Papam, ad Episcopos, ad Abbates, ad Principes, ad patres, ad maritos, ad Sacerdotes, ad Clericos, ad populares, & ad omnes in communi. Patet consideranti: quia cuilibet tali dici potest: Tu es tyrannus, &c.*

Argent.
Tom. II. P.
II. pag. 11.

Censura Sacræ Facultatis, quam hic respicit Gerfon, die 13. Decemb. an. 1413. lata erat, atque his verbis concepta: *Hæc adsertio, Quilibet Tyrannus, &c. sic generaliter posita, & secundum acceptionem huius vocabuli Tyrannus, est error in fide & doctrina morum, & est contra præceptum Dei: Non occides, glossa, propria auctoritate; & contra hoc, quod dicit Dominus noster, Omnes qui gladium acceperint, glossa, propria auctoritate, gladio peribunt. Item vergit in subversionem totius reipublicæ & uniuscujusque Regis aut Principis. Item dat viam & licentiam ad plura alia mala, & ad fraudes & violationes fidei & juramenti, & ad proditiones, & consequenter ad æternam damnationem.*

Con-

Concilium Constantiense Generale an. 1415. sess. XV. *Nuper accepit hac sacrosancta Synodus, quod non nullæ adfertiones erroneæ in fide & bonis moribus dogmatizatae sunt, inter quas hac adfertio delata est: Quilibet Tyrannus potest & debet licite occidi per quemcumque vassalum suum aut subditum, etiam per clanculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento, non expectata sententia vel mandato judicis cujuscumque. Adversus hunc errorem satagens hac sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura declarat, decernit, & definit, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamque tamquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat & condemnat.* Hanc definitionem Constantiensis Concilii, ut & ceteras de fide & moribus ab eo editas, cum tota Ecclesia approbavit Romanus Pontifex Martinus V. celebri Bullâ, *Inter cunctas &c.* quæ Actis inserta legitur.

Concil. T.
XVI. pag.
262.

Ibid. pag.
751.

Eandem doctrinam *contra impios & execrabiles Regum ac Principum parricidas*, Decreto Constantiensi insistens, judicio & subscriptione Theologorum 141. fidelibus populis declarari jussit Sacra Facultas Parisiensis an. 1610.

Argent.
Tom. II. P.
II. pag. 10.

Conventus Ordinum Gallicanorum, cui Episcopi plurimi interfuere, Parisiis an. 1615. Regem Christianissimum Ludovicum XIII. communibus votis & precibus rogat, ut in lucem edi jubeat doctrinam Concilii Constantiensis a se paulo ante propositam & inculcatam populo Christiano, qua tamquam impii, seditiosi, & hæretici condemnantur, qui occidi licite posse improbos Reges & prætenso Tyrannos docebant. Adde insignem orationem Cardinalis Perronii in eisdem Comitibus Generalibus an. 1615. ubi ex Sacris Litteris Decretoque Constantiensi eandem doctrinam probat.

Memoires
du Clerg.
de France
Tom. I.
pag. 572.

Actes du
Clerg. de
France
Tom. I.
pag. 35.

Rursus an. 1611. eadem Facultas Parisiensis die 6. Aprilis post Solemnem Missam de Spiritu Sancto declaravit, *se conformiter ad Concilium Constantiense absolute negare cuiquam privato fas esse quocumque quasito pretextu propria auctoritate Principes occidere: e contrario Joannem Marianam Societatis JESU Theologum in Libro de Rege & Regis Institutione diserte atque expresse affirmare, homines privatos quasito colore tyrannidis posse licite tribus in casibus Principes occidere.* Extat apud nos hic Joannis Marianæ Liber Moguntia editus anno 1605.

Argent.
Tom. II.
P. II. p. 42.

Carolus Argentraeus Episcopus Tutelensis in *Collectione Judiciorum de Novis Erroribus &c.* de illa doctrina Jesuitarum in Reges ita scribit: *Dei prima Augusti 1589. Fr. Jacobus Clement Dominicanus Henricum III. occiderat, dum urbem Parisiorum obsideret, quem summe laudarunt libris editis Petrus Ribadaneira & Joannes Mariana Jesuita.... Die 27. Augusti 1593. Petrus Barriere Melodunum profectus ut Regem Henricum IV. trucidaret, fassus fuerat se a P. Varade Rectore Collegii Claramontani fuisse edoctum: & antequam extremo supplicio adficeretur confessus fuerat, se accepisse Sacrosanctum Corpus Domini nostri juramento prius in manibus ipsius facto perpatranda hujus parricidii. Ipse autem P. Varade ex urbe Parisiensi aufugit una cum PP. Pigenat, Guerin, & Commelet, cum Rex in ipsam intravit.*

Argent.
Tom. II.
P. I. p. 503.

Illustrissimi Argentraei narrationi fidem facit Cardinalis Ossatus itidem Gallus sub ipso Henrico IV. in Epistula VII. ad Dominum de Villeroy.

Ossat. pag.
33.

Carolus Joachimus Colbertus Episcopus Monspeliensis in Institutionibus Catholicis Parte I. Sect. I. Cap. IV. §. 21. *Numquam licet adver-*

Catech.
Monspel.
Tom. I. p.
127. edit.
Parif.
1725.

adversus supremam & legitimam Regum auctoritatem rebellare, obtentu persecutionis aut religionis. Petro gladium ad Christi defensionem arripienti respondit Christus: Mitte gladium tuum in vaginam. Religionem ab Ethnicorum Imperatorum furore armis vindicare nunquam sibi licitum putarunt primævi Christiani. Potuissent quidem & facillime vim vi repellere, si voluissent, data sæpius occasione: sed acerbissimis persecutionibus non aliam umquam opposerunt arma, quam patientiam & orationes ad Deum. Neque inter ceteros subiectos Regibus homines distinctionem ullam affectarunt umquam, quam eam quæ a maiori subiectione & fide & erga Regis obsequio peti poterat. Judæis eadem religio fuit &c. Hujusmodi Cathecismum Monspeliensem, dum nostra hæc typis iterum mandarentur, Lusitana interpretatione donavit, suæque approbatione suum fecit Excellentissimus ac Reverendissimus D. Archiepiscopus Eborensis, totius Lusitaniæ Prætor Maximus, Regisque à Sanctioribus Consiliis Quinquenvir: quo sane Antistite nullum purioris Theologiæ observantiorum, nullum retinentiorum nostra vidit ætas: ut erudendo & illustrando Clero natum fateri omnes debeant, quibus vera & solida pietas cordi est.

Guillelmus Estius Cancellarius Academiae Duacensis in II. Sent. Dist. 44. §. 2. *Privato nemini licet superiori etsi tyrannice imperanti per vim resistere, ac multo minus eum de medio tollere, ut patet ex Decaloga præcepto, Non occides, & ex definitione Constantinensis Synodi Sess. 15.*

Tot Scriptoribus orthodoxis non piget heterodoxum unum adjungere, qui quamvis de Calviniana secta fuerit, de Regibus tamen multo melius sensit & scripsit, quam nonnulli ex his, qui Jesuitarum nomine gloriantur. Is est Hugo Grotius, qui in Libro *de Imperio Summarum Potestatum circa sacra*, Cap. III. §. 7. ita differit: *Neque ullo modo audiendi sunt, qui contra Sacras Litteras, contra rectam rationem, contra piæ antiquitatis sententiam, inferioribus quibusdam potestatibus adversus summam arma induunt.* Id cum testimoniis divinæ Scripturæ, exemplisque priorum Christianorum demonstrasset Grotius; *Plane dolendum est, inquit, inventos nostro sæculo viros eruditos, qui novo procusso dogmate latissimam seditionibus & bellis aperuerint viam.* Sic impiam Marianæ & Sodalium doctrinam perstringit doctissimus juxta ac & modestissimus Calvinista.

Grot. T.
III. p. 212.

LOCA SCRIPTURARUM

Exodi XX. 13. *Non occides.*

Exodi XXII. 28. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*

I. Reg. XXIV. 5. *Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam banc rem Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum quia Christus Domini est. Vide pietatem Davidis in Regem. Princeps regni & militiæ erat: gener Regis erat: illum sibi infensissimum & iniquissimum expertus erat. Et tamen cum occidere impune posset, adeo non occidit; ut potius conscientiæ stimulus eum torserit, propterea quod abscidisset simbriam chlamydis regiæ.*

I. Reg. XXVI. 7. *Venerunt ergo David & Abisai, & invenerunt Saul jacen-*

jacentem & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput ejus. Dixitque Abisai ad David: conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lanceâ. Et dixit Davit ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini & innocens erit? Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.

Baruch I. 11. *Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthassar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram: & serviamus eis multis diebus.*

I. Pet. II. 17. *Deum timete: regem honorificate.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Tertullianus in Apologetico Cap. 36. *Iidem sumus imperatoribus, qui & vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex aquo vetamur. Quodcumque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam. Quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est. Mox Cap. 37. Cui bello non idonei, non prompti fuissetus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere?*

Tertull.
pag. 30.

Idem in Libro adversus Scapulam Cap. II. *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligit, & revereatur, & honoret, & salvum velit. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris. Supra illud jam scripserat: Circa maiestatem Imperatoris infamamur: tamen numquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani.*

Ibid. pag.
69.

Præter Tertullianum multi alii fuerunt ejusdem ævi Patres, qui crimen læsæ maiestatis hominibus nostris falso impactum, tamquam à Christiana & Evangelica religione omnino alienum summo studio depellendum curarint: scriptis editis obtestantes, nihil magis abhorre- re à moribus Christianis & à doctrina Apostolica, quam siquis Imperatorum etiam paganorum & persecutorum hostis esset inventus. S. Justinus Martyr in Apologia I. num. 17. *Nos solum Deum adoramus: vobis autem in rebus aliis læti servimus: Reges ac Principes hominum esse agnoscentes, & simul precantes, ut cum Regia potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini.* S. Theophilus Episcopus Antiochenus Lib. III. ad Autolyicum num. 14. *Illud etiam jubet Scriptura Sancta, ut magistratibus & potestatibus subiciamur, ac pro iis precemur, ut tranquillam & pacatam vitam agamus. Ac omnibus omnia reddere docet: cui honorem, honorem; cui timorem, timorem; cui tributum, tributum: nec quicquam ulli debere, nisi ut diligamus omnes.* Hæc illi sub Septimio Severo, hæc sub Antoninis Ethnicis Imperatoribus, iisdemque Christiani nominis hostibus infensissimis. Similia vero sub Gallieno scribebat Cyprianus in epistula ad Demetrianum.

Justin. pag.
54.

Theophil.
ibid. pag.
389.

Cyprian.
pag. 133.

S. Optatus Episcopus Milevitanus Lib. III. *Jam tunc meditabatur Donatus, contra præcepta Apostoli Pauli, potestatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat.*

Optat. pag.
56.

S. Augustinus in Psal. CXXIV. num. 7. *Aliquando injusti perveniunt ad honores sæculi. Cum pervenerint & facti fuerint vel Judices vel Reges: quia hæc facit Deus propter disciplinam plebis sue, non potest fieri, nisi ut exhibeatur illis honor debitus potestati*

August.
Tom. IV.
pag. 115.

Julianus extitit infidelis Imperator: extitit apostata: iniquus idololatra. Milites Christiani servierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in Caelo erat. Si quando volebat ut idola colerent & thurificarent, praponebant illi Deum. Quando autem dicebat: producite aciem: ite contra illam gentem: statim obtemperabant. Distinguebant Dominum aeternum à domino temporali: & tamen subditi erant propter Dominum aeternum domino temporali.

In Append
Tom. IV.
pag. 53. Vetus Auctor Quæstionum ex Veteri Testamento inter Opera Augustini Quæst. XXXV. *Non nescius David divinam esse traditionem in officio ordinis regalis: idcirco Saul in eadem traditione positum honorificat, ne Deo injuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decrevit. Dei enim imaginem habet rex, sicut & Episcopus Christi. Lege ibi reliqua.*

Gregor.
Tom. II.
pag. 726. S. Gregorius Magnus Lib. IV. epist. 47. ad Sabinianum: *Unum est quod breviter suggeras Serenissimis Dominis nostris: quia si ego servus eorum in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Duces haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me immiscere formido.*

Bernard.
Tom. I.
pag. 166. S. Bernardus in epist. 170. ad Ludovicum Juniorem Regem Gallorum: *Si totus terrarum orbis adversum me conjuraret, ut aliquid moliar adversus regiam maiestatem: ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere non auderem. Nec enim ignoro, ubi legerim: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

Concil.
Hispan. T.
III. pag.
379. edit.
Aguirrii. Concilium Toletanum IV. an. 633. sub Sancto Isidoro, Can. LXXV. *Servemus erga Deum religionis cultum cum timore: custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsonem: non sit in nobis sicut in quibusdam gentibus infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina. Nullus apud nos presumptione regnum arripiat: nullus excitet mutuas seditiones civium: nemo meditetur interitus Regum. & paulo post: Quod si hæc admonitio mentes nostras non corrigit, & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audite sententiam nostram. Quicumque igitur a nobis vel totius Hispania populus qualibet conjurationem vel studio sacramentum fidei sue, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu, vel conservatione Regiæ salutis pollicitus est, temeraverit; aut nece Regem attrectaverit, aut potestate regni exuerit, anathema sit in conspectu Dei Patris & Angelorum, atque ab Ecclesia Catholica efficiatur extraneus. Idem anathema in Regum hostes vibravit Concilium Toletanum XVI. an. 693. Can. X.*

Ibid. Tom.
IV. pag.
330. Concilium Aquisgranense II. an. 836. Cap. II. Can. 12. *Constat igitur, quia quicumque potestate a Deo data resistit, juxta Apostolicum documentum, Dei ordinationi resistit. Et idcirco in commune statuimus, ut si quisquam Episcoporum, aut quilibet sequentis ordinis ecclesiastici, deinceps timore aut cupiditate, aut qualibet suasionem, a Domino Ludovico Imperatore defecerit, aut etiam Sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, & ejus contrariis malevola intentione se copulaverit, gradum proprium amittat. Quodsi quisquam laicus superius comprehensa facere tentaverit, sciat se ab universo gradu anathematizandum.*

Concil.
Britan.
Tom. I.
pag. 365. Concilium Vintoniense an. 1076. Can. 9. *De Episcopis, ut nullus conspirationem faciat contra principem.*

PROPOSITIO XII.

*Secluso Regum privilegio, ipsorum potestati
æque subduntur bona sacerdotum, ac bona
laicorum ad tributa solvenda.*

Suffragia Doctorum Catholicorum.

ANTONIUS de Rosellis, Doctor celeberrimus sub Eugenio IV. in Tractatu de Potestate Imperatoris & Papa, Parte I. Cap. 29. *Leges sæculi & dispositiones ipsas terrenorum secundum civile & sæculare dominium Deus per Imperatores & Reges populis constituit. Et licet tales leges non comprehendant justos, sic & clericos, quia lex non est imposita justo, ad Gal. 4. & hi sunt qui tamquam filii summi Regis in omni regno liberi sunt: tamen quatenus clerici se negotiis sæcularibus ipsis immiscent, & quatenus bona aliqua sæculari & civili dominio querunt habere propria, subditi sunt Imperatori & Regibus. Si ergo volunt clerici sæcularia proprio jure, submitunt se legibus sæculi & humanis juribus.*

Extat
apud Gol-
dastum T.
I. p. 267.

Gratianus Decreti P. II. Causa XI. Quæst. I. Cap. 26. *Clerici ex officio Episcopo sunt suppositi: ex possessionibus prædiorum Imperatori sunt obnoxii. Ab Episcopo unctioem, decimationes, & primitias accipiunt: ab Imperatore vero prædiorum possessiones nansciscuntur. Unde Augustinus ait super Joannem: Quo jure villas defendis? divino, an humano? Quia ergo, ut prædia possideantur, Imperiali lege factum est: patet quod clerici ex possessionibus prædiorum Imperatori sunt obnoxii.*

Hugo de S. Victore Canonicus Regularis S. Augustini, de Sacramentis Lib. II. Parte II. Cap. 7. *De terrenis bonis ad terrenam vitam pertinentibus, quadam Ecclesiis Christi devotione fidelium concessa sunt possidenda: salvo tamen jure terrene potestatis. Notandum tamen quod Principes terreni in terrenis possessionibus, quas in subiectis possident, Ecclesia aliquando concedunt solam utilitatem: aliquando & utilitatem & potestatem. Utilitatem sine potestate concedunt, quando fructum quidem possessionis ad usum Ecclesia transferri decernunt: sed potestatem justitiæ exercendæ in ipsa possessione ad ejus jurisdictionem transire non permittunt. Aliquando & potestatem & utilitatem simul tribuunt. Ubi tamen diligenter attendendum est: quod licet Ecclesia fructum terrena possessionis in usum accipiat: potestatem tamen exercendæ justitiæ per Ecclesiasticas personas, aut judicia sæcularia non potest exercere: potest tamen ministros habere laicas personas, per quas jura ac judicia ad terrenam potestatem pertinentia secundum tenorem legum & debitum juris terreni exerceat. Sic tamen ut & ipsum quod potestatem habet, à Principe terreno se habere agnoscat: & ipsas possessiones nunquam ita à regia potestate elongari posse intelligat, quando si ratio postulaverit & necessitas, & illis ipsa potestas regia debeat patrocinium, & illi ipsa possessiones debeant in necessitate obsequium.*

Hugo
Tom. III.
pag. 608.

Nicolaus de Cusa Cardinalis Libro III. de Concordantia Catholica Cap. 39. *Nullus sive ecclesiasticus sive secularis se jure poterit excusare: (à contributione videlicet pro iuvanda vel conservanda republica) omnium enim bonorum temporalium regimen ad publicam commoditatem primo debet ordinari. Unde Hugo noster excellentissimus Saxo, in Lib. de Sacramentis scribit: ipsas possessiones nunquam à regia potestate posse elongari. Quoniam si ratio postulaverit & necessitas, & illis ipsa potestas debeat patrocinium, & illi ipsa possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim regalis potestas patrocinium, quod dat alteri, non potest non dare: sic ipsa possessio ab Ecclesiasticis personis obtenta, obsequium, quod regie potestati pro patrocinio debetur, jure negare non potest.*

S. Thomas in illud Apostoli: *Ideo & tributa prestatis, Rom. XIII. Ab hoc tamen debito liberi sunt clerici privilegio Principum, quod naturalem equitatem habet.*

Anonymus Theologus tempore Philippi Pulchri, quem Richerius edidit, in Dialogo Clerici & Militis de Potestate Ecclesiastica & Sæculari. C. *Rex iste Joas bona sibi non tulit, sed in usus ecclesiasticos expendit: vos autem hodie bona nostra tollitis, quæ non in religiosos usus, sed in militares tumultus & bellicosas classes expenditis. M. Sempre in malum vestrum contra stimulum Regum calcitratis: est hoc vobis non molestum, quod de bonis Ecclesiæ secum tollunt nepotuli vestri & consanguinei, alique personæ interdum inhonestæ: sed vobis est omnino intolerabile, quod Rex mansuete petit a vobis pro vestra salute & defensione Ecclesiæ & bonorum vestrorum. C. Me miserum: pellem meam tollitis cum carnibus, & hoc appellatis salutem. M. Non perstrepite, sed patienter audite: considerate vicinos vestros suis egere, & ad vestra respicere. Si deficeret Regis potestas, qualis esset requies vestra? Nonne ignobiles, egeni, & prodigi, si consumpsissent sua, converterentur ad vestra? Ergo Regia manus vester murus est: pax Regis pax vestra, salus Regis salus vestra: quæ si deesset, vicinis super bona vestra grassantibus, nunc exigentibus, nunc comminantibus atque vastantibus bona vestra, cogeremini omnibus servire. Si videretis prorsus bona vestra perire, quanto velletis ea redimere, & quod manu regia rediret sicut prius? Videtis ergo cum pauca Regi traditis, quomodo salutem vestram redimitis, quando omnia bona vestra disperdenda salvat.*

Rursus infra: M. *Si Ecclesiæ emerit censualem agrum, numquid cui solvendus est census perdet eum? C. Non de censibus, sed de exactionibus sermo est. M. Sicut ego super certos agros habeo certum censum, sic Imperator super orbem terrarum pro defensione Reipublicæ, cum opportunum fuerit, pro arbitrio voluntatis potest levare tributum, Clara enim ratione conceditur, ut Respublica Reipublicæ sumptibus defendatur, & quacumque pars gaudat illa defensione, cum aliis ponat onus.*

Ægidius de Roma Ordinis Eremitarum S. Augustini in Quæstione super dissidio Philippi Pulchri cum Bonifacio VIII. non longe ab initio: *Quicumque solvit tributum alicui, non videtur præesse in temporalibus: sed solvit Papa tributum Imperatori ut II. Quæst. I. Cap. Magnum, & 23. Quæst. 8. Cap. Tributum. Item supra Dist. 8. Quo jure, ait Augustinus: Unde quisquis possidet, quod possidet? nonne jure humano? Jure igitur humano dicitur: hæc villa mea est: Jura autem humana jura Imperatoris sunt.*

Petrus de Victoria Ordinis Prædicatorum de Potestate Ecclesiastica

astica Relect. I. sect. 7. propos. 2. Clerici exempti sunt à tributis non jure divino, sed privilegio Principum. Hoc expresse dicit D. Thomas super illum locum Rom. 13. Ideo & tributa præstatis. Et dicit hanc exemptionem esse æquitatem, non autem necessitatem.

Apud Bar-
cl. p. 688.

Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri in illud Ambrosii contra Auxentium: *Agri Ecclesie solvunt tributum: Non mirum, inquit, si adfirmetur ab Ambrosio, agros Ecclesie vectigales esse & tributa pendere Imperatoribus: extant siquidem in Codice Theodosiano leges à Constantino ejusque successoribus promulgatae, puta L. I. de Annonis & Tributis: atque alia de Episcopis & Clericis: quibus Ecclesie possessiones vectigalibus subiciuntur. Quod vero ad clericos, certum est eorum facultates tributo fuisse obnoxias, & plerumque etiam personas muneribus publicis, ut dicit Ambrosius contra Symmachum.* His gemina multo ante scripserat Didacus Covarruvias Episcopus Segoviensis in *Præcticis Questionibus* Cap. XXXI. Michael Rabardæus Jesuita Gallus in Libro, *Optatus Gallus de cavendo schismate &c.* Sect. II. num. 2. *Eadem fuit mens Divi Thomæ, qui explicans illa verba S. Pauli ad Roman. Ideo tributa præstatis: ab hoc tamen debito, inquit, clerici ex privilegio Principum liberi sunt, quod quidem æquitatem naturalem habet. Quo loco satis aperte S. Thomas significat, clericos naturali aut communi jure gentium in his, quæ pertinent ad commoda & tranquillam regnorum gubernationem, subditos esse Regibus & Principibus secularibus; quorum tamen gratiâ seu privilegio ex æquitate & pietate, quo liberius Deo serviant, à tributorum pensatione & aliis quibusdam communibus oneribus liberati sunt.*

Ambros.
Tom. II.
pag. 872.

Covarruv.
Tom. II.
pag. 632.
Rabard.
pag. 17. &
18.

Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis Lib. II. de *Concordia* Cap. 7. *Quia Clerici non tantum qua Clerici, sed etiam qua cives sunt, spectantur in Republica; legibus Principum tenentur, nisi eorum gratiam libertate generali toti Clero indulta, aut alicui Ordini, ex beneficio Regum consecuti sint.*

Marca
pag. 75.

LOCA SCRIPTURARUM.

Lucæ XX. 24. *Ostendite mihi denarium, cujus habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cesaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cesaris Cesari, & quæ sunt Dei Deo.*
Ad Rom. XIII. 5. *Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

S Anct. Justinus Martyr secundo Ecclesiæ sæculo in Apologia I. num. 17. *Illud etiam studio nobis est, ut vestigalia & census iis, quibus hoc munus commissis (Imperatores adloquitur) primi omnino pendamus: quemadmodum à Christo instituti sumus, &c.*

Justin. pag.
54.

S. Hilarius Episcopus Pictaviensis in Matth. XXIII. num. 2. *Si nihil Cesaris penes nos resederit, conditione reddendi ei, quæ sua sunt, non tenebimur. Porro autem si rebus illius incumbimus, si jure potestatis sue utimur, & nos tanquam mercenarios alieni patrimonii procuratori subicimus: extra querelam injuria est Cesari adhiberi, quod Cesaris est.*

Hilar. pag.
721.

S. Gre-

Nazianz.
Tom. I.
pag. 720.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. XVII. ad cives suos : *Nobis etiam prescribitur, ut potestatibus sublimioribus pareamus : utpote quibus tributo pendendo simus obnoxii.*

Ambros.
Tom. I.
pag. 1502.

S. Ambrosius in Lucam Lib. X. Cap. 20. *Si Christus non habuit imaginem Caesaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit de mundo, quod erat mundi: & tu, si vis non esse obnoxius Casari, noli habere quae mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Casari. Si vis nihil debere Regi terreno, relinque omnia tua, & sequere Christum.*

Ibid. pag.
1354.

Idem Lib. V. in Lucam Cap. 5. *Si censum Dei filius solvit, quis tu tantus es, qui non putas esse solvendum? Et ille censum solvit, qui nihil possidebat: tu autem, qui saeculi sequeris lucrum, cur saeculi obsequium non recognoscas? Cur te supra saeculum quadam animi arrogantia feras, cum saeculo sis misera cupiditate subiectus?*

Tom. II.
pag. 872.

Idem in Oratione contra Auxentium num. 33. *Si tributum Imperator petit, non negamus: agri Ecclesiae solvunt tributum. Si agros desiderat, potestatem habet vindicandorum: nemo nostrum intervenit.*

August.
Tom. VI.
pag. 287.

S. Augustinus in Libro de Catechizandis rudibus, num. 37. *Dicit Apostolica doctrina, ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & reddantur omnibus omnia: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, & cetera quae salvo Dei nostri cultu constitutionis humanae Principibus reddimus: quando & ipse Dominus, ut nobis praerberet exemplum, tributum solvere non dedignatus est.*

Bernard.
Tom. I.
pag. 127.

Urbanus Papa apud Gratianum P. II. Causa XXIII. Quaest. VIII. Cap. 22. *Quod in ore piscis inseritur, pro Petro & Domino dari jubetur: quia de exterioribus Ecclesiae, quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete qua nos tueri & aefensare debent, Imperatoribus persolvendum est.*

Hincmar.
Tom. II.
pag. 525.

S. Bernardus in Epistula 119. ad Ducem & Ducissam Lotharingae: *Non renuimus Domini nostri sequi exemplum, qui pro se non dedignatus est solvere censum, parati & nos libenter quae sunt Caesaris Casari, reddere, & vectigal cui vectigal, & tributum cui tributum.*

Concil.
Britan. T.
I. p. 372.

Hincmarus Remensis Opusc. XXIX. *Causa sua defensionis Regi ac Reipublica vectigalia, quae nobiscum annua dona vocantur, praestat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus, cui honorem honorem, cui vectigal vectigal: subauditur praestate Regi ac defensoribus vestris.*

S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis in Concilio Roehinghamensi an. 1094. *In quo terrenis principibus subdi ac ministrare debemus, docet & instruit idem ipse magni consilii angelus dicens: Reddite quae sunt Caesaris Casari, quae sunt Dei Deo. Haec verba, haec consilia Dei sunt: haec approbo, haec suscipio, haec nulla ratione exibo. Lege reliqua.*

Probationes Ecclesiasticae Antiquitatis.

PRO.

PROPOSITIO XIII.

In publicis gravibusque calamitatibus vel necessitatibus regni, quibus levandis impares sunt laicorum opes, congrua subsidia sive contributiones à Clero postulare Rex potest, etiam inconsulto Romano Pontifice.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

CONSTANS hæc doctrina est Pragmaticorum Scriptorum apud Gallos, Hispanos, & Italos: quos citat & sequitur Carolus Fevretus de *Abusu* Lib. I. Cap. 8. Nos tamen Pragmaticis in medium relictis, quorum tanta non est auctoritas, Theologos dumtaxat producemus.

Archiepiscopus Remensis cum suis omnibus Suffraganeis in Libello ad Bonifacium VIII. qui hujusmodi subsidia a Rege imperari prohibuerat: *Excellentissimus Princeps, dominus noster, Barones, & domini temporales ceterique regnicola Francia, constitutionem hanc onerosam, gravem, & præjudicalem nimio adserunt juri suo; cum omnem singulos incolas dicti regni ad defensionem regni & patriæ omni privilegio, excusatione, & exceptione cessantibus vocare pretendunt, præsertim feudatarios & fideles Regis ejusdem, nosque & alios Prelatos de regno: quorum quidam per homagium, & fere omnes juramento sumus fidelitatis adstricti eidem domino nostro Regi, ad jus & honorem ipsius & regni servandum, absque cujus necessario defensionis præsidio vivere tute non possumus, nec defendi a nostrorum persecutione continua æmulorum.*

Preuves
des Liber-
tez Cap.
XXXIX.
Tom. II.
pag. 1500.

Theologi ejusdem Regis Philippi Pulchri in Responsione ad eandem Bullam: *Libertates per statuta Romanorum Pontificum de benignitate vel saltem permissione Principum secularium Clericis concessæ vel permissæ, ipsis Regibus regnorum suorum gubernationem ac defensionem auferre non possunt, nec ea quæ dictæ gubernationi & defensionem necessaria, seu expedientia & deliberato bonorum ac prudentium consilio judicantur, dicente Domino Pontificibus Templi: Reddite ergo quæ sunt Cesaris Cesari, & quæ sunt Dei Deo. Et paulo post: Quicumque sive Clerici sive laici, qui capiti suo, vel corpori, hoc est, domino Regi & regno, immo etiam sibi met auxiliium ferre recusant, semet ipsos partes incongruas & membra inutilia & quasi paralytica esse demonstrant: unde si a talibus pro rata sua subventionum auxilia requirantur, non exactiones vel gravamina dici debent: sed potius capiti & corpori & membris debita subsidia.*

Ibid. pag.
1497.

An. 1590. re in deliberationem Theologorum posita a Philippo II. Hispaniarum Rege, responderunt omnes, in his Dominicus Bannezius Ordinis Prædicatorum, & P. Henriquezius Jesuita, posse ab illo subsidia imperari Clero ad expensas belli suscepti adversus Gallos: ut refert cum aliis Fevretus Lib. I. Cap. 8.

Fevret.
Tom. I.
pag. 76.

Michael

Rabard.
pag. 53.

Michael Rabardæus Societatis Jesu in *Optato Gallo* Sect. III. num. 3. hanc doctrinam demonstrandam suscipit: *Jure quasi naturali vel gentium debere Clericos patriæ subvenire. Quod ea præcipue ratione probat: quod Ecclesiæ & temporalia bona illis adjuncta tam firmiter cum tranquillitate regni & reipublicæ conjuncta sunt, ut non possint absque illius integritate salva sartaque conservari: itaque necessarium esse, Clericos non solum sacrificiis, orationibus, & religiosis officiis reipublicæ bonum, salutem & integritatem procurare: sed etiam pecuniis, industria sua, vel manibus quantum hoc necessarium videbitur, contra malignos hostium domesticorum & externorum impetus pro virili sua defendere.*

Thomass.
Tom. III.
pag. 144.

Ludovicus Thomassimus Congregationis Oratorii Gallicani Presbyter P. III. de *Antiqua veterique Ecclesiæ Disciplina circa Beneficia*, Lib. I. Cap. XLI. num. 2. cum retulisset ex Anselmo Cantuariensi oblatam ab eo non mediocrem pecuniæ summam Willelmo Ruffo Anglorum Regi fuisse: *Non injuria ergo, inquit, hinc exprimemus, posse intactis Ecclesiasticis immunitatibus conferri aliquid a Clericis & Episcopis, quo Principis & Regni necessitates inusitata releventur.*

Charlas
Tom. I.
pag. 191.

Antonius Charlas Parisiensis Doctor de *Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* Lib. IV. Cap. 12. num. 7. *Sane securitas Ecclesiarum & bonorum Ecclesiasticorum cum incolumitate status politici conjuncta est, præsertim cum ab hostibus infidelibus aut hæreticis impetitur. Itaque tunc Ecclesia Regem ejus ope indigentem juvans, propriis etiam rationibus consulit.*

Barbosa.
T.I.p.475.

Adde his gravissimam orationem Joannis Alphonfi à Pace Julia Doctoris & Senatoris Lusitani, quam describit politissimus Historicus sapientissimusque Regiæ Academiæ Socius Didacus Barbosa Machadius in *Vita Sebastiani Regis* Lib. II. Cap. 9. unde plane addices, quàm effusa liberalitate Reges nostros semper profecuti sint Episcopi Lusitani.

Exempla Principum Christianorum.

Imperator Gratianus Leg. 7. Cod. de Operibus publicis: *Ad portus, & aqueductus, & murorum instaurationem, sive extructionem, omnes certatim, facta operarum collatione instare debent: neque aliquis ab hujusmodi consortio dignitatis privilegiis excusari.*

Honorius Leg. 7. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis: *Ad instructionem itinerum, pontiumque, etiam divinas domus, & venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo libenter adscribimus: quia non est inter sordida munera numeratum.*

Duchef-
nius Tom.
V. p. 30.

Philippus Augustus in suo Testamento apud Rigordum ejusdem ævi scriptorem anno 1190. *Si aliquis filio nostro vellet movere guerram, & redditus sui, quos habet, non sufficerent: tunc omnes homines nostri adjuvent eum. Et Ecclesiæ tale faciant ei auxilium, quale solita sunt facere nobis.*

Philippus Pulcher anno 1305. in Ep. ad Clerum Turonensem: *Quanto magis scientiæ donum, scripturarum notitia, & rerum experientia vigent in vobis; novistis plenius, qualiter omnes, & singuli Clerici, & laici nostri regni, tamquam membra simul in uno corpore viventia, sibi debent ad invicem compati, mutuumque sibi prestare tenentur auxilium spiritualiter, & temporaliter ad conservationem, defensionem, & custodiam unitatis ipsius regni contra rebelles.*

Plura

Thomas Valsinghamus, Benedictini Ordinis Monachus sæculo XV. vertente insignis, in vita Eduardi III. Anglorum Regis passim commemorat solutas à Clero decimas pro expensis belli, nullo Pontificis interventu. Ad annum 1340. Cum rex convocato Parlamento exposuisset multiplices ærumnas suas & infortunia, *prælati, proceres, ceterique fideles nonæ partis garbarum, agnorum, & vellerum suorum, præter decimam a Clero concessam, tale dedere subsidium, quod &c.* Ad annum 1343. Hoc anno per totum regnum Angliæ decimæ tam temporalium, quam spiritualium regi soluta sunt. Ad annum 1344. Clerus Anglicanus regi concessit decimas triennes.

Camdeni
Anglica
pag. 155. &
160. &
164. Fran-
cof. an.
1602.

Plura tum Galliæ, tum Hispaniæ, tum aliorum regnorum exempla dabit Carolus Fevretus de *Abusu* Lib. I. Cap. 8.

LOCA SCRIPTURARUM.

Ad Rom. XIII. 6. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem.*

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Concilium Teudonense anno 844. Cap. 4. *Unusquisque vir Ecclesiasticus, & intercessionis adiutorium, & solatii quo respublica indiget, subsidium juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissa, salvo jure quod divinis dispensationibus exinde debet impendi, prompte & ex animo parare & impigre, sicut tempore antecessorum consueverat, studebit offerre.*

Capitular.
Tom. II.
pag. 12.

Concilium Carisiacense anno 858. Can. 7. *Constituerunt Apostolorum successores hoc ordinari, ut quia creverunt fidelium vota, & increverunt infidelium mala, augetur per dispensationem Ecclesiasticam regni militia ad resistendam malorum nequitiam; quatenus ipsa Ecclesiæ defensionem haberent, & pacem. Et mox: Quapropter sicut illæ res, ac facultates, de quibus vivunt Clerici, ita & illa sub consecratione immunitatis sunt, de quibus debent militare vassalli.*

Concil.
Gall. Tom. 2
III. p. 122.

Hincmarus Archiepiscopus Remensis Opusculo XLVI. *Militiam ad defensionem Sanctæ Ecclesiæ, secundum possibilitatis quantitatem juxta antiquam consuetudinem Regiæ dispositioni exhibere debet Episcopus, & secundum Domini jussionem, quæ Cæsaris sunt Cæsari, & Deo quæ Dei sunt reddere.*

Hincmar.
Tom. II.
pag. 762.

Huc spectat Notitia quædam antiqua, quæ inter Capitularia Ludovici Pii legitur ad annum 817. quæ talis est. *Notitia de Monasteriis Regni Francorum, quæ Regi militiam, dona, vel solas orationes debent. Hæc sunt quæ dona, & militiam facere debent, numero XIV. Hæc sunt quæ tantum dona dare debent sine militia, numero XVI. Hæc sunt, quæ nec dona, nec militiam dare debent, sed solas orationes pro salute Imperatoris, numero XVIII.* Extat apud Duchesnium Tomo II. pag. 323. & apud Baluzium in Capitularibus Tomo I. pag. 590.

Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis Lib. III. Epist. 34. *Paulo post Rex noster iturus in Normanniam, multa pecunia indiguit. Antequam a me quicquam peteret, consilio amicorum promisi illi pecuniam non parvam.*

Anselm.
pag. 374.

Sanctus Lupus Abbas Ferrariensis sub Carolo Calvo Epist. 32.

Biblioth.
PP. Tom.
XV. p. 17.

Confectaria doctrinae praecedentis.

Panorm.
Tom. VI.
fol. 224.
vers.

Rabard.
pag. 63.
Fevret. T.
I. pag. 77.

Fagnan.
Tom. III.
pag. 596.

Siquis opponat Lateranensis Concilii IV. caput 46. quo antequam subsidia conferant, jubentur Episcopi consulere Romanum Pontificem: respondet Panormitanus in Cap. *Non minus*, de Immunitate Ecclesiarum: *Putarem quod ubi necessitas tanta immineret, quod non possit sine scandalo, & periculo haberi prius recursus ad Papam, sufficeret delibatio Episcopi & Clericorum.* Adsentitur Rabardæus Jesuita Sect. III. num. 5. Conferantur cum superioribus ea, que ex Doctoribus Gallicis, Hispanicis, & aliis observat Fevretus De Abusu Lib. I. Cap. 8. & quæ ex Petro de Ancharano, Antonio Butrio, Saliceto, aliisque Primariis Canonistis scribit Fagnanus in Cap. *Non minus*, de Immunit. Eccles. num 42. & 44.

PROPOSITIO XIV.

*Quidquid bonorum temporalium Ecclesia possidet,
sub Regum jure possidet.*

Suffragia Doctorum Catholicorum.

Apud. Fe-
vret. VII.
Cap. III.
pag. 61.

CLEMENS V. in Bulla quadam de Templariorum bonis: *Carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum, cum de bonis Templariorum nil sibi vindicare aut appropriare intendat; ea nobis & Ecclesie per deputandos a nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda dimisit.*

Ægid.
Tom. I.
edit. Ri-
cher. pag.
25.
Ibid. pag.
26.

Ægidius Romanus in Proœmio Tractatus sæpius laudati pro Philippo Pulchro: *Dist. VIII. ait Augustinus: unde quisquis possidet quod possidet? Nonne jure humano? jure igitur humano dicitur, hæc villa mea est; jura autem humana sunt jura Imperatoris. Tolle jura Imperatoris, & quis audeat dicere, hæc villa mea est? Istud Decretum S. Augustini magnum terrorem debet memorare volentibus resistere Regi Francie. Idem paulo post. Papa & Romana Ecclesia quicquid habent in temporalibus, pro maiori parte perceperunt ab Imperatoribus. Similiter alie Ecclesie temporalia bona quæ possident, receperunt a regibus & principibus.*

Ibid. pag.
46.

Idem Art. V. cum ex Libro VI. Decretalium de Immunit. Eccles. Cap. I. hanc Pontificis Constitutionem sibi opposuisset, in qua dicitur: *Non licere iis qui jurisdictionem obtinent temporalem, ipsas Ecclesias vel personas ad distrabendum vel alienandum, aut extra manum suam ponendum acquisita, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare: in hunc modum respondet: Ista Constitutio nova est, nondum a Principibus approbata: quam ad discussionem cum perve-*
nient,

nient, numquam forsitan approbarent: quia per istum modum persona Ecclesiastica tantas possessiones acquirere possent, quod in damnum & prejudicium intolerabile Principibus & Reipublica proveniret.

Anonymus Doctor sub Philippo Pulchro in Tractatu de Potestate Papæ: *Ab isto corde, id est, à seculari Principe procedunt, tamquam à principio, vena, id est, leges, statuta, & consuetudines legitime, per quas veluti per quasdam venas dividitur & defertur ad partes singulas totius corporis, hoc est, Reipublica, substantia temporalis, sicut in humano corpore sanguis. Quomodo autem ista temporalis substantia habeat dividi, pertinet ad Reges, & Principes exercentes justitiam.*

Ibid. pag. 177.

Joannes Gerson in Lib. de Vita Spirit. anime Lect. III. *Habet Papa potestatem ex consensu tam Principum, presertim Imperatorum, quam aliorum subditorum in quadam temporalium appropriatione, quam ei constat jure divino nequaquam convenire.*

Gerson. Tom. III. pag. 34.

Jacobus Almainus de Potestate Summi Pontificis Quæst. I. Cap. 6. *Summus Pontifex ex institutione Christi non habet supremam potestatem jurisdictionis in rebus temporalibus. Patet: ille, qui possidet res temporales jure alterius puri etiam hominis, non habet in illis supremam potestatem jurisdictionis; immo alter, cujus jure possidet, habet maiorem potestatem in illis: sed Summus Pontifex est hujusmodi: ergo. Patet minor ex Augustino, & ponitur in Can. quo jure, 8. distinct. Dicitur quo jure defendis villas Ecclesie? (loquitur de temporalitate, & vocat jus humanum civile:) Ideo querit quo jure, an divino vel humano? stantim probat quod non jure divino, quia Domini est terra, &c. Ergo jure Imperatoris dicitur, hac villa est mea, hac est tua: ergo sequitur manifeste, quod jure Imperatoris hac villa vel hic servus dicitur esse Ecclesie: ergo jure alterius Papa possidet terras Ecclesie.*

Almain. Tom. III. pag. 130.

Joannes Maior in IV. Sentent. Distinct. 14. *Petrus aut Successor in institutione Christi non habet dominium in temporalibus, sed solum in illis quæ Principes sæculi illi benigne & gratis contulerunt & conferunt.*

Maior ibid. p. g. 428.

Joannes de Parisiis in Tractatu de Potestate Regia & Papali, in Proemio Operis: *Puto quod Prelatis Ecclesie non repugnat habere dominium in temporalibus & jurisdictionem. Nec tamen debetur eis per se ratione sui status, & ratione quod sunt Vicarii Jesu Christi & Apostolorum successores: sed eis possunt convenire talia ex concessione vel permissione Principum, si ab eis ex aliqua devotione aliquid hujusmodi fuerit collatum, vel si habuerint aliunde.*

Parif. T. I. pag. 51.

Idem Cap. XX. *Principes dotantes Ecclesiam non possunt in ipsam totaliter transferre dominium sic, quod nihil de dominio retineant. Ita etiam determinat Hugo de S. Victore Lib. II. Parte II. Cap. 7.*

Ibid. pag. 127.

Idem Cap. XXII. *Quod Papa se habeat intromittere de tuo & meo: hoc esset manifeste contra sacram Scripturam, & contra omnem doctrinam, & novitas quadam quam non proferre debet Summus Pontifex.*

Ibid. pag. 140.

Illustrissimus Petrus de Marca Lib. VI. de Concordia Cap. 12. num. 7. *Famdiu questio illa definita est in Gallia: ubi pro lege inviolabili habetur Summum Pontificem nullam contributionem imperare posse in bonis ecclesiasticis absque expresso consensu Regis & Ecclesie Gallicane. Et num. 12. Cum Annata titulo tantum subsidii debeantur, quod exigere Pontifex non potest absque consensu Regis & Ecclesie Gallicane:*

Marca p. 219.

Ibid. pag. 221.

licane: liberum est Regi & Episcopis consensum suum revocare, eique tributo finem imponere. Solutio enim illa nihil aliud est quam donum spontaneum & gratuitum, quod prescriptioni obnoxium esse non potest. Et num. 13. Rex tamquam Protector Ecclesie Gallicane, & vi etiam Regia auctoritatis, prohibere potest quacumque tributa, quae Summus Pontifex sive titulo Annatarum, sive alio quolibet modo, imperare vellet personis ecclesiasticis: ac etiam prohibere ne ea quorum exactio consensu jam est adhibitus, augeantur in posterum. Denique post pauca: Principes summam habent auctoritatem impediendi exactiones Curiae Romanae in regnis suis. Piaculum esset in Gallia, si quis de hac potestate dubitaret post edicta S. Ludovici, Regumque Philippi Pulchri, Philippi Valesii, Caroli V. VI. & VII. Adde Pithæum in Probationibus Libertatum Gallicanarum Cap. XV. num. 35.

Ibid. pag.
222.

LOCA SCRIPTURARUM.

Matth. X. 9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam. Lucae XII. 13. & 14. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? Actor. III. 6. Petrus autem dixit: argentum & aurum non est mihi. Conferatur Bernardus mox citandus.

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Hilar. pag.
121.

S Anct. Hilarius Episcopus in Matth. Cap. XXIII. num. 2. Si Caesaris rebus incumbimus, si jure potestatis suae utimur, extra querelam injuriæ est Caesari redhiberi, quod Caesaris est.

Ambros.
Tom. I. p.
1502.

S, Ambrosius Episcopus Lib. X. in Lucam Cap. 20. Sis vis non esse obnoxius Caesari, noli habere quae mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Caesari. Si vis nihil debere Regi terreno, relinque omnia tua, & sequere Christum.

Tom. II.
pag. 836.

Idem in Epistula ad Valentinianum: Nobis etiam privata successionis alimenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur; non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus. Legem hic Ambrosius intelligit 20. C. de Episcopis & Clericis, a Valentiniano latam, qua prohibentur Clerici à piis mulieribus donatione vel testamento quicquam accipere.

August.
Tom. III.
P. II. pag.
340.

S. Augustinus Episcopus Tractatu VII. in Joan. num. 25. Donatistarum Episcoporum querelam adversus Catholicos talem refert: Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt. Cui sic respondet S. Doctor: Ecce sunt villae: quo jure defendis villas? divino, an humano? Respondeant: divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum. Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus: pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra supportat. Jure tamen humano dicit, Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. Jure ergo humano, jure Imperatorum. Quare? quia ipsa judicia humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano. Si jure humano vultis possidere, recitemus leges Imperatorum. Videamus si voluerunt aliquid ab hæreticis possideri.

deri. Sed quid mihi est Imperator? Secundum jus ipsius possides terram. Aut tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, Mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hac mea est? Mox num. 26. Sed quid nobis & Imperatori? sed jam dixi, de jure humano agitur. Et tamen Apostolus voluit ferri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit: Regem reveremini. Noli dicere: Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni. Per jura Regum possidentur possessiones.

Idem in Lib. ad Bonifacium, seu in Epist. 185. aliás 50. num. 36. Quidquid ergo nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transire jusserunt. Cum ergo nobiscum sint earundem Ecclesiarum pauperes, qui eisdem possessiunculis alebantur; ipsi potius Donatistæ foris positi, desinant concupiscere aliena.

Aug. T. I.
P. II. pag.
658.

S. Bernardus Lib. I. de Consideratione Cap. VI. Romanum Pontificem adloquens: Quid tibi aliud dimisit S. Apostolus? Quod habeo, hoc tibi do. Quid illud? unum scio: non est aurum, neque argentum: cum ipse dicat: argentum & aurum non est mihi. Esto ut alia quacunque ratione hac tibi vindices: sed non Apostolico jure: nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias. Eodem spectat illud ejusdem Bernardi ad Eugenium: Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra.

Bernard.
Tom. I.
pag. 425.

Hincmarus Remensis Opusc. XXIX. Res & facultates Ecclesie regie potestati commissæ sunt ad defendendum atque tuendum, & per jura Regum Ecclesia possidet possessiones, sicut dicit S. Augustinus.

Hincm.
Tom. II.
pag. 325.

Ex Chronico Farfensi ad Andrea Duchesnio edito sequens factum in rem nostram scite observavit celeberrimus Baluzius in Præfatione ad Capitularia Regum Francorum. Cum enim in præsentia trium Judicum Ludovici Pii Imperatoris retulisset Dominus Ingoaldus Abbas Monasterii Farfensis cum Audulfo Advocato, quod Domni Adrianus & Leo Pontifices per fortiam invasissent res hujus Monasterii: idque boni & veraciores homines duodecim testimonio suo confirmassent: supradicti Judices audientes judicaverunt, ut Gregorius Advocatus Pontificis retraderet ipsas curtes Audulfo Advocato hujus Monasterii: quod facere noluit. Sed & ipse Apostolicus dixit, nostro judicio se minime credere, usque dum in præsentia Domini Imperatoris simul venirent.

Duchesn.
Tom. III.
pag. 656.

Sanctus Avitus Episcopus Viennensis in Epist. XXXIX. Quidquid habet Ecclesiola mea, immo omnes Ecclesie nostræ, vestrum est, (Regem adloquitur) de substantia quam vel servastis hætenus, vel donastis. Sirmondus Jesuita in hunc locum: Libera & ingenua professio. Principibus accepta feruntur bona Ecclesie, quæ vel donarunt ipsi, vel ut donare liceret, concesserunt ex lege Constantini Magni. Habeat unusquisque licentiam Sanctissimo Catholicæ Venerabilique concilio, decedens bonorum quod optavit relinquere, &c. Lex est 4. in Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. 2. quam suo etiam Codici inseruit Justinianus.

Avit. ex
edit. Sir-
mond. T.
II. pag. 82.

Gothofr.
Tom. VI.
pag. 23.

Hincmarus Remensis Epist. ad Hadrianum Papam: Si per jura Regum possidebunt possessiones, non possunt ut Regi de Ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeant, sicut antecessores mei suis antecessoribus exhibuerunt.

Hincmar.
Tom. II.
pag. 699.

PROPOSITIO XV.

Exemptio Clericis concessa in Jure Canonico tum quoad bona, tum quoad crimina civilia, non tam à Romano Pontifice, quam à gratia & privilegio Principum sæcularium ortum & vigorem habet: nec per talem exemptionem Clerici desinunt esse subditi Principum eorundem.

Suffragia Doctorum Catholicorum.

Hincmar.
T. II. pag.
706.

CAROLUS Calvus Rex Francorum in Epistula ad Hadrianum Papam, quam describit & fortasse composuit Hincmarus Remensis Antistes: *Nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente causa necessarium est, quia Reges Francorum ex Regio genere nati non Episcoporum vicedomini, sed terra domini hætenus fuimus computati: & ut Leo ac Romana synodus scripsit, Reges & Imperatores quos terris divina potentia præcepit præesse, jus distringendorum negotiorum Episcopis Sanctis juxta Divalia Constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Et S. Augustinus dicit, per jura Regum possidentur possessiones, non autem per Episcopale imperium Reges villici fiunt actoresque Episcoporum. Et Dominus, quæ sunt Cesaris Cesari, & quæ sunt Dei Deo reddi præcepit, qui etiam censum Regi dedit. Et Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari, & non conculcari Reges. Regem, inquit, honorificate. Hæc Carolus Adriano scribebat graviter commotus & offensus illius Decreto, quo jusserat Hincmarum Laudunensem Episcopum Romam venire, quem ut maiestatis reum custodiæ mancipârat Carolus.*

Pan. T. II.
pag. 130.

Panormitanus in Cap. *Siquis* de Majorit & Obed. *Sed quero quis eximit clericos a potestate Imperatoris? dicit Laurentius quod Papa eos eximit de consensu Imperatoris.*

Thom. T.
XVI. fol.
41.

S. Thomas in Epistulam ad Romanos Cap. XIII. ubi de tributis agitur: *Ab hoc tamen debito liberi sunt clerici privilegio Principum, quod quidem naturalem æquitatem habet.*

Gratianus Parte II. Decreti, Causa XXIII. Quæst. VIII. Cap. *Tributum* 22. *Pharao Sacerdotibus ita necessaria subministravit, ut nec possessionibus nec libertate nudarentur, Domino ex tunc pronuntiante, Sacerdotes in omni genere liberos esse oportere. Unde hanc immunitatem dederunt Ecclesia Constantius & Constans dicentes: In qualibet civitate, &c. Gratianus quoque, Valentinianus, & Theodosius decreverunt dicentes: Universos quos constiterit custodes Ecclesiarum esse, &c. Imperator Justinianus: Sancimus res ad venerabiles Ecclesias &c. Hinc etiam legitur in Parisiensi Concilio Can. 63. an. 845. in Gallia: Secundum Canonicam autoritatem & constitutionem Domini Imperatoris Ludovici de Ecclesiastico agro, & manso, & de mancipiis, quæ ipse
luis*

fuis capitulis constituit, &c. Gratiano ergo iudice, fons & fundamentum Ecclesiasticæ exemptionis sunt leges & gratiæ Imperatorum Romanorum.

Joannes Parisiensis de Potestate Regia & Papali Cap. XIII. Unde commendabiliter Henricus Imperator duos de Papatu altercantes non solum canonica censura, sed Imperiali auctoritate deposuit, ut legitur in Chronicis Romanorum. Et dicitur quod primo jure habet Imperator ratione delicti precipue civilis Papam immediate corrigere: quia de privilegio a Principibus indulto, Clerici non nisi per suos Episcopos judicantur: quod privilegium primo impetravit Julius Papa, qui secundus fuit post Sylvestrum, adhuc Constantino vivente, ut dicitur in Chronicis. Idem Cap. XIX. Quod vero dicitur de terra Sacerdotum, qua sub Pharone libera erat à tributo & censu: dicendum est quod per hoc demonstrabatur Sacerdotes debere esse liberos quoad onera personalia, & quoad mansionem sive mansum Ecclesie, & quoad ea quæ ipsis donantur ut Sacerdotes sunt, & Ministri Dei pro redemptione annuarum: & non quoad ea quæ titulo emptionis vel aliter acquiruntur Ecclesie, quæ cum onere suo transeunt ad eos, ut notatur 23. quæst. ult. Cap. Tributum, & alio Cap. Secundum Canonicam auctoritatem: & hoc est Ecclesiis indultum ab Imperatoribus & Principibus, ut ibidem dicitur. Idem Cap. XX. sequentes doctrinas tradit. Primam: Episcopus accipiens feudalia, precipue sciente & permittente Summo Pontifice, magis tenetur obedire temporali domino, quam Summo Pontifici: immo in casu ubi jam precipit ei Princeps aliquid de pertinentibus ad onera feudorum, videtur exemptus à Papa. Secundam: Posse Reges lege lata impedire, ne aliqui portent pecunias extra Regnum, etiam si per tales arctationes damnificetur Curia Romana non accipiens consueta servitia: quia si faciat hoc pro suo vel terræ suæ commodo, licet inde per consequentiam damnum aliis contingat, sibi est licitum: quia cuilibet licitum est uti jure suo. Tertiam: Esto quod faciat hoc Princeps intentione nocendi, adhuc in casu est licitum: scilicet si presentibus probabilibus vel evidentibus argumentis appareat, quod Papa ad hoc vocaret Prælatos, ut cum ipsis aliquid machinari intenderet contra ipsum, vel contra Regnum suum. E vestigio hanc rationem apponit maxime memorandam: Est enim licitum Principi ab usum gladii spiritualis repellere eo modo, quo potest etiam per gladium materiale: precipue ubi abusus gladii spiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit: aliter enim sine causa gladium portaret. Denique Cap. XXII. Si periculum Reipublicæ sit in mora, & est periculum de rebellionem, & Papa commoveat populum indebite per abusus gladii spiritualis: ubi etiam non speratur quod desistat aliter: puto quod in hoc casu Princeps violentiam gladii Papæ posset repellere per gladium suum cum moderamine: nec in hoc ageret contra Papam, sed contra hostem suum & hostem Reipublicæ, &c.

Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis Lib. II. de Concordia Cap. 3. num. 7. Theologorum illa ætate celeberrimorum Joannis de Parisiis & Guillelmi Ockami, quibus postea accessit Gerson, opinionem sequebantur Galli, qui crimina distinguebant in Ecclesiastica, & secularia. Illa in admissis directe contra fidem & sacramenta constituebant: hæc in iis quæ jure gentium aut civili sunt vetita. Criminum Ecclesiasticorum coercionem per censuras Episcopis competere: sed in secularibus distinguendum esse dicebant. Aut enim de jure agitur & de peccato opinionis vel erroris, ut ipsi loquuntur: id est, si quis sibi persuadeat id quod committitur circa secularia non esse peccatum, v. g. furtum vel homici-

Parif. pag.
99.

Ibid. pag.
126.

Ibid. pag.
127. & 128

Ibid. pag.
140.

Marca
pag. 62.

homicidium. Vel agitur de facto, id est, de peccato quod ipsi vocant vindicationis, id est, cum quis de facto res alienas sibi vindicat, vel aliud crimen seculare perpatrat. Itaque fatentur penes Ecclesiam ex Christi institutione potestatem esse cognoscendi de peccato erroris, & definiendi an hoc vel illud factum crimini deputari debeat, eosque qui huic definitioni refragentur, pœnis Ecclesiasticis castigandi. Ceterum de peccatis secularibus, quæ vocant vindicationis, judicia vel censuras ferre, non spectare ad jurisdictionem Ecclesiasticam. Et ita, inquit Joannes Parisiensis, de peccato in temporalibus non judicat vel cognoscit Judex Ecclesiasticus, sed sæcularis tantum: nisi forte aliunde quam a Christo concessum ei fuerit vel permissum. In his ergo criminibus potestas Ecclesiastica monita tantum & consilia adhibere potest, non autem laicos peccantes coercere pœnis: innuere quid sequendum sit & vitandum, non castigare: vel, ut ipsi loquuntur, judicare de peccato innuitive, non coercitive. Hæc Theologorum Parisiensium sententia jam a trecentis & quadraginta annis in forum inuenta, etiam hodie apud tribunalia magistratuum viget. Hæc Illustrissimus Marca. Locus Joannis Parisiensis extat in Tractatu ipsius de Potestate Regia & Papali Cap. XIII.

Parif. T.I.
pag. 97.

edit. Ri-
cher.
Rabard.
pag. 21.

Michael Rabardæus Jesuita in Libro *Optatus Gallus* Sect. II. num. 3. *Quando autem postea hoc ipsum per leges & rescripta Christianorum Imperatorum, Regum, & Summorum Principum secularium fuit prohibitum: (scilicet Clericos ad forum seculare trahi) fidentius Summi Pontifices suis Litteris & Decretis illud diligenter observandum constituerunt: quo sensu debemus interpretari plures Canones Sylvestri, Pelagii, Gregorii, Gelasii, Leonis, Bonifacii, & aliorum Pontificum: tum etiam Decreta antiquorum Conciliorum, quæ Gratianus refert. Quod minus acute, meo judicio, considerarunt illi Doctores, qui ex his absolute probant, jure Pontificio simpliciter abque permissu vel consensu Regum & Principum secularium, hanc libertatem à foro & judicio secularium Magistratuum Clericis datam & stabilitam fuisse.*

Ibid. pag.
25.

Idem Sect. II. num. 4. *Duo genera delictorum pro hac controversia distinguenda censeo: ut alia sint mere canonica vel Ecclesiastica, quæ ad Judicem tantum Ecclesiasticum pertineant: qualia sunt ea, quæ spectant ad fidei & doctrinæ Christianæ intelligentiam, divinorum mysterium administrationem, Clericorum & Sacrorum in officiis Ecclesiasticis gubernationem: alia vero civilia, quod eorum coercitio & punitio spectet ad pacem & tranquillitatem publicam conservandam, proindeque legibus publicis & certis pœnis adjunctis sint prohibita; sive communia sint & mixta, sive privilegiata, lege civili novo quasi privilegio contra libertatem Clericis datam convalescente.*

Ibid. pag.
42.

Idem num. 8. *moderationem laudat Ludovici XIII. Gallorum Regis, quod cum nonnulli Episcopi de machinata contra Regem & communem Regni tranquillitatem rebellionem accusati fuissent: Rex qui maiorum suorum exemplo poterat illos pro crimine læsæ maiestatis lege Regia in jus vocare, Litteras a Santissimo Domino nostro Urbano Papa VIII. postulavit ad alios sapientissimos Episcopos datas, quod mallet ab his, quam a Magistratibus & Judicibus laicis sua auctoritate hanc causam examinari & judicari.*

Barcl. pag.
680.

Joannes Barclaius in *Vindiciis Regum adversus Bellarminum* Cap. XXXIV. ostendenda suscipit quæ sequuntur: *Privilegia Clericorum non divini juris esse, sed promanasse ex pietate Principum secularium: cum olim etiam sub Christianis Imperatoribus, Clerici iisdem judiciis experirentur, quibus laici. Nec Papam potuisse eos eximere invitis Principibus. Idem Cap. XXXV. hæc habet §. 2. Nullibi Papa legitur Cano-*

Ibid. pag.
718.

nes de exemptione Clericorum condidisse, nisi jam Clericis privilegio Regum exemptis. Immunitates scilicet accepit, ut donatas: non ut suas vindicavit Ecclesia. Deinde §. 5. Bellarminum adloquens hæc scribit: *Negas orituras inde turbas: quia si Rex non potest coercere delinquentes Clericos, at coercebunt Episcopi. Id vero quid est aliud, quam Episcopos ad regale culmen attollere? Cur enim, Bellarmine, instituti sunt Reges, aut quo illorum potestas est? Nonne ut Reip. moderentur, paci salutique civium provideant, pænis & præmiis divisim in merentes? Atqui jam id muneris eripis Regibus, aut saltem cum Episcopis vis esse commune, &c.* Denique aliquanto post: *Dicis privilegiata crimina vocari in Gallia, de quibus Clerici apud Regios Judices accusari Papa indulget. Nihil minus. Neque ullam invenias sanctionem, qua id privilegii in Clericos Regibus Rebusque publicis Papa concesserit: ut facile judices, non id ordinariæ jurisdictionis Regibus à Papa tributum, qui olim utebantur omni in Clericos potestate: sed ipsorum voluntate servatum, qui de suo jure quod libuit remiserunt, quod libuit tenuerunt. Sed & nuper doctissimus Milletotus, eleganti illo Tractatu, quem inscripsit de delicto communi & casu privilegiato, rite ostendit, privilegia Clericorum orta à Regibus: ideoque crimina, ob quæ Clerici accusantur in foro civili, vocanda proprie Delicta communia, quia communi jure de illis cognoscit Magistratus: quæ vero ad Episcopum remittuntur, privilegiata esse dicenda: scilicet quia Regum privilegio indulgetur Episcopis, ut de iis casibus cognoscant ac judicent.*

Ibid. pag. 730.

Ibid. pag. 731.

Guillelmus Barclaius Joannis Barclaii pater in Libro de Potestate *Pape adversus Bellarminum Cap. XXXV. §. 2. Principes fideles exem- runt quidem privilegiis suis Clericos à potestate Magistratum inferiorum: sed non exemerunt à potestate sua: nusquam enim memoria proditum est ab ullo scriptore, Principes qui istis Clericos privilegiis donarunt, ita eos a se liberos dimisisse, ut sibi amplius non subessent. Immo nec potuerunt Principes, nec adhuc possunt Clericos in suis Regnis constitutos ea libertate donare, ne ipsis potestate temporali non subsint, neve delinquentes ab iis judicari & puniri possint, nisi eadem operâ se principatu abdicent.*

Extat apud Gof- dastum T. III. pag. 1105.

Benignus Milletotus apud Divionenses in Gallia Regius Con- siliarius in Tractatu de *Delicto communi. Ecclesiastici nunquam brachio seculari traduntur ex Jure Canonico, nisi ob tres illos casus hæreseos, falsificationis litterarum Apostolicarum, & conspirationis contra proprium Episcopum. Quomodo igitur punientur sicarii, incendiarii, ince- stuosi, sodomitæ, parricidæ, conspiratores adversus Reges & eorum sta- tus & similia criminum monstra, quæ sæculi infelicitas nimium sæpe in Ecclesiasticis detegit? Sed si creditur ipsis, Judex secularis de cri- mine cognoscere non poterit, quin excommunicationi subiciatur. Judex Ecclesiasticus nullam aliam pœnam imponere neque graviolem poterit, quam aliquam ex supra memoratis: non habet Ecclesia ultra quid faciat. En igitur manifestam impunitatem in maximis & atrocissimis crimini- bus. Nam aut prorsus non puniri, aut non æqualem criminis atrocitati pœnam inferre perinde est. Ac sane pœna Ecclesiasticæ omnes nihil aliud spectant, quam ut puniatur quod adversus Ecclesiæ statum gestum est, purgentur animæ a peccato, & ad beatitudinem æternam disponantur, qui finis est Potestatis Ecclesiasticæ: bonum scilicet spirituale animarum. Sed quod adversus civilem societatem admittitur, adversus status tran- quillitatem, & totius Reipublicæ commodum, Ecclesia punire non po- test: quod ipsi commissa non sit custodia & defensio status. Hanc ob causam necessarium est, ut cognitio criminum, quæ adversus civilem*

Apud Gol- dast. Tom. III. p. 707.

admittuntur, statumque perturbant, adversus quamcumque personam ad eos pertineat, penes quos est summa rerum administratio.

Ibid. pag. 797. Id postquam multis Sacrarum Litterarum testimoniis, multisque exemplis ex utraque Historia & Jure Civili confirmasset Milletotus, tandem ira Tractatui suo erupitissimo finem imponit, ut dicat: *Clericis quidem exemptionem à Principibus esse concessam, sed ita tamen, ut in casibus criminalibus nulla ipsis data privilegia fuerint de iis cognoscendis, nisi in levioribus quibusdam delictis. Sed in maioribus & atrocioribus criminibus, quibus leges, status publicus, & societas civilis leduntur, eorum cognitionem Reges suis Judicibus reservasse ex Juris communis dispositione.*

Paul. Sarp. p. 95. Paulus de Venetia Ordinis Servorum B. Mariæ, Theologus Reipublicæ Venetæ celeberrimus, in Considerationibus super censuris Pauli V. adversus eandem Rempublicam Italice scriptis, ibidemque editis an. 1673. hæc ad verbum habet à nobis latine expressa: *Respublica pro indubitata habet doctrinam Theologorum, quibus insigniores Canonistæ adsentiuntur, qui tenent, exemptionem Clericorum a foro seculari in criminibus non ecclesiasticis, sed temporalibus vel civilibus, non esse de jure divino, sed ex privilegio Principum.*

Ibid. pag. 110. Rursus ibidem: *Quamvis Romani Pontifices ab anno 1160. & deinceps varia Decreta ediderint de exemptione Clericorum: (Cap. At si Clerici, de Judic. Cap. Clerici, eod. Cap. Cum non ab homine, eod. Cap. Qualiter & quando, eod.) nullo tamen in loco hujusmodi Decreta integre recepta sunt ab aliquo, Principe, nec ita vigere potuerunt, ut crimina læsa maiestatis secularibus Magistratibus non remanerent obnoxia.*

Bignon. Tom. II. Cap. pag. 877. edit. Baluz. Hieronymus Bignonius Senator Gallus in Notis ad Marculfum Lib. I. Cap. 3. *Immunitatem primi Christiani Imperatores parcam & modicam Ecclesiis tribuerunt, & initio quidem a civilibus & personalibus muneribus tantum, quod ex Libro XVI. Cod. Theod. facile perspicitur. Plenissima vero immunitas a Regibus nostris concessa est: ut merito dici possit, suo exemplo ceteris Principibus auctores fuisse eandem immunitatem Ecclesiis concedendi.*

Vanesp. Tom. III. pag. 6. Bernardus Vanespenius Pontificii Juris Interpres in Tractatu de *Recursu ad Principem* §. 5. *Hæc exemptio, quam Privilegium fori communiter appellant, a Principibus Christianis Clericis indulta est in eorum favorem: ut nempe a forensibus Judiciis exempti liberius Domino vacarent.*

Gibert. T. I. pag. 9. post. pag. 124. Joannes Gibertus nostræ etiam ætatis Theologus & Canonista præstantissimus, in Prolegomenis Juris Canonici, Tit. de Privilegiis: *Omnia hujusmodi privilegia ad quatuor genera reducuntur: nempe 1. Canonis, Siquis suadente, quo excommunicantur ipso facto, qui in Ecclesiasticos violentas manus iniciunt. 2. Fori, quo iidem eximuntur à jurisdictione Judicis secularis. 3. Rerum seu Bonorum, quo illa ab oneribus, quibus subsunt bona secularia, eximuntur. 4. Locorum, quo à penis liberantur rei ad illa confugientes. Hæc privilegia sunt ab humano jure introducta: primum à jure Ecclesiastico mere positivo, cetera à Principibus concessa, proindeque ab illis revocari possunt.*

Tom. III. pag. 140. & 141. Rursus Vanespenius in Supplemento in Jus Ecclesiasticum P. III. Tit. III. Cap. I. *Ex his evidenter sequitur, exemptionem clericorum à jurisdictione laica etiam in causis criminalibus non à jure naturali, vel Divino, neque ex Ecclesiasticis decretis, sed ex solis Imperatorum, & Principum legibus profluere, & de ea statuendum ac judicandum: unde nec de hac exemptione valet auctoritas Decretalium sive Jus Canonicum, nisi in quan-*
tunz

tam illud in hoc articulo est receptum expresso, vel tacito Principum consensu. Et Cap. II. Si igitur Principes intelligant exemptionem, qua hactenus gavisi sunt Clerici, politico & recto Reipublica regimini plurimum officere; ipsamque Clericorum à jurisdictione & coercitione Magistratum secularium exemptionem, fovere crimina, atque subministrare incentivum delinquendi: quid ni Principes possint, quin & subinde teneantur pro temporum & rerum circumstantiis hac exemptionum privilegia sua auctoritate limitare, atque circumscribere, & quadam crimina excipere, & formam & modum de his judicandi praescribere.

Ludovicus Molina Jesuita Tractatu II. de *Justitia & Jure* Disp. 31. num. 10. ex Petro Victoria & Dominico Soto Ordinis Praedicatorum, quibus ipse subscribit. *Observant Victoria & Sotus, si Clericorum libertas in manifestam cederet secularis Republica perniciem, Clericis impune grassantibus in laicorum caedes, Summique Pontifices admoniti adhibere nollent remedium: posse equidem Principes seculares suis subditis consulere, nihil immunitate & privilegio Clericorum impediente. Ratio est: quoniam Respublica civilis est sibi ipsi sufficiens: quocirca quemadmodum propria auctoritate potest seipsam defendere & servare indemnem a quacumque alia Republica seculari, sic etiam ab Ecclesiasticis.*

Molina
Tom. I.
pag. 85.

Dominicus Coeffeteaus Ordinis Praedicatorum Episcopus Massiliensis in Responsione ad Epistolam Regis Angliæ: *Clerici sub legibus Regum vivunt, & eorum auctoritatem recognoscunt, non ignorante Pontifice. Mos etiam in hoc Christianissimo regno obtinet, ne aut Cardinales aut Episcopi prius dignitatum suarum emolumenta percipiant, quam se Regi fidelitatis sacramento devinxerint.*

Apud Bar-
clai. pag.
712.

Exempla Principum Christianorum.

DE personis, bonis, & criminibus Ecclesiasticorum leges quamplurimas ediderunt Romani Imperatores à Constantino ad Justinianum, quarum aliae in Theodosiano, aliae in Justinianæo Codice extant. Nos insigniores dumtaxat hic describemus: Theodosianas ex editione Dionysii Gothofredi, Justinianæas ex editione Simonis Leuwenii.

Civiles leges de qualitate Ordinandorum.

Constantinus Magnus L. 6. Cod. Theodof. de Episc. Ecclef. & Cler. Tit. 2. ad Ablavium Præf. Præt. *Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus, sub specie Clericorum, a muneribus publicis vacatio deferatur. Nec temere & citra modum populi Clericis connectantur: sed cum defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius allegetur, cui nulla ex Municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare: ita ut si inter civitatem & Clericos super alicujus nomine dubitetur, si eum equitas ad publica trahat obsequia, & progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignoscetur, exemptus Clericis civitati tradatur: opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum divitiis sustentari.*

Gothof.
Tom. VI.
pag. 30.

Idem eod. Tit. L. 3. *Constitutio emissa præcipit, nullum de-*
h ii
inceps

Ibid. pag.
22.

inceps Decurionem, vel ex Decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum, ad Clericorum nomen obsequiumque confugere: sed eos de cetero in defunctorum dumtaxat Clericorum subrogari, qui fortunâ tennes, neque muneribus civilibus teneantur obstricti.

Valentinianus I. L. 17. eod. Tit. *Plebeios divites ab Ecclesia*

Ibid. pag. *suscipi penitus arcemus.*
45.

Civiles leges de bonis Clericorum.

Constantius Tauro Præfecto, C. de Episcop. & Cler. L. 3. *De his Clericis, qui prædia possident, sublimis auctoritas tua non solum eos aliena juga nequaquam statuet excusare, sed etiam pro his prædiis, quæ ab ipsis possidentur, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgeri.*

Theodosius II. Tauro Præfecto, C. de Sacrosanctis Eccles. L. 11. *Neminem ab angariis, vel parangariis, vel plaustris, vel quolibet munere excusari præcipimus, cum ad felicissimam expeditionem nostri numinis omnium provinciarum per loca, qua iter arripimus, debeant solita nobis ministeria exhiberi: licet ad sacrosanctas Ecclesias possessiones pertineant.*

Gothof.
Tom. VI.
pag. 48.

Valentinianus I. Damaso Pontifici, Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. II. de Episc. Eccles. & Cler. L. 20. *Censemus etiam, ut memorati Ecclesiastici, aut ex Ecclesiasticis, vel qui Continentium se volunt nomine nuncupari, nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerit, vel donatione vel testamento possint adipisci. Quin etiam si forte post admonitionem legis nostræ aliquid iisdem ea femine vel donatione vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiscus usurpet.*

Gothof.
Tom. VI.
pag. 50.

Dionysius Gothofredus, quem Calviniana hæresis, cui fuit additus, summi Jurisconsulti insignisque Critici laude & appellatione privare non potest, recte in hunc locum sequentia scribit: *Sæcularis jurisdictionis & potestatis in Ecclesiasticos, saltem quod temporalia illorum bona, monumentum & argumentum hoc (si quod aliud) illustre esse videtur. Imperatorem videmus non solum mores Ecclesiasticorum ad honestatem componentem, sed & provida ac severa legis cautione Ecclesiasticorum acquisitionibus fibulam imponentem.*

Gothof.
ibid. pag.
60.

Theodosius Magnus Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. II. L. 27. ad Tatianum Præfectum Prætorio sic de Diaconissis decernit: *Si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat heredes, &c.* Qui plures de eo argumento leges videre cupit, adeat Ludovicum Thomassinum nostrum Tomo III. de *Antiqua veterique Ecclesia Disciplina* Lib. I. cap. 33. & 34.

Leges de criminibus Clericorum.

Theodosius Magnus Paulino Præfecto Augustali, C. de Episc. & Cler. L. 8. *Presbyteri citra injuriam quæstionis testimonium dicant, ita tamen ut falsa non simulent: ceteri vero Clerici qui eum deinde gradum vel ordinem sequuntur, si ad testimonium dicendum petiti fuerint, prout leges præcipiunt, audiantur: ut salva tamen sit litigatoribus*

toribus falsi actio, si forte Presbyteri, qui sub nomine superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem injuriam sunt precepti, hoc ipso quod nihil metuant, vera suppresserint.

Valentinianus III. in Novella de Sepulchris violatis: Nefandi sceleris inter ceteros vehementior (ut aiunt) clericos querela prosequitur, quos portentis talibus immorantes frequenter aspexit dies tristior. Quisquis igitur ex hoc numero clericorum, scilicet sepulchrorum violator extiterit, illico clerici nomen amittat, & stillo proscriptionis addictus perpetua deportatione plectatur. Quod ita servari oportere censemus, ut nec Ministris, nec Antistitibus sacrae religionis in tali causa statuamus esse parcendum.

Valentinianus I. Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. II. de Episc. Eccles. & Cler. L. 23. Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis ecclesiasticis obtinendus est: ut si qua sunt, ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis, ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & a sua Dioceseos synodis audiantur: exceptis quae actio criminalis ab Ordinariis extraordinariisque Judicibus aut Illustribus Potestatibus audienda constituit. Audis Imperatorem lata lege declarantem, & definientem, quando Episcopi & Clerici coram Ecclesiasticis, quando vero coram saecularibus Judicibus accusari vel litigare possint: ut ea quae ad religionem pertineant a synodis Episcoporum, quae vero civilia fuerint, a saecularibus Magistratibus cognoscantur.

Gothof.
Tom. VI.
pag. 52.

Valentinianus III. ibid. De Episcopali iudicio diversorum saepe causatio est. Ne ulterius querela procedat, necesse est praesenti lege sanari. Itaque cum inter Clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus convenit; habeat Episcopus licentiam iudicandi, praesente tamen vinculo compromissi. Quod & laicis, si consentiant, auctoritas nostra permittit. Aliter eos iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interposita sicut dictum est, conditione praecedat. Quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis secundum Arcadii & Honorii divalia constituta, quae Theodosianum Corpus ostendit, praeter religionem posse cognoscere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & jure communi, &c. Quam formam etiam circa Episcoporum personam observari oportere censemus: ut si in hujuscemodi ordinis homines actionem persuasionis & atrocium injuriarum dirigi necesse fuerit, per Procuratorem solemniter ordinatum apud Judicem publicum inter leges & jura confligant. Et mox: In reliquis negotiis criminalibus juxta legum ordinem per se iudicium subire coguntur.

Gothof.
Tom. VI.
pag. 53.

Gothofredus hic: Valentinianus sublaturus querelas seu causationes plurimorum, quae tunc erant de Episcopali iudicio: non tantum in causis civilibus seu pecuniariis Episcopo iudicium sibi vindicari vetat, nisi utraque parte consentiente & precedente vinculo compromissionis: verum etiam confirmata verbis expressis Honorii constitutione, etiam quoad Episcopos, reos publicis legibus & jure communi, id est, in publico iudicio respondere jubet: nisi forte privato delicto laesus ab Ecclesiastico iudicio Ecclesiasticum eligere maluerit.

Gothofr.
pag. 53.

Marcianus C. de Episc. & Cler. L. 24. ad Constantinum Praefectum Praetorio: Cum Clericis in iudicium vocatis pateat Episcopalis audientia, volentibus tamen actoribus, si actor disceptationem sanctissimi Archiepiscopi noluerit experiri, eminentissima tuae sedis examen contra Clericos subimet noverit expetendum: qui in nullo alio foro, vel apud quemquam alterum iudicem eosdem clericos litibus irretire, & civilibus vel criminalibus negotiis tentet innectere.

Leo

Leo & Anthemius Cod. de *Episc. & Cler.* L. 33. *Omnes qui ubique sunt, vel posthac fuerint orthodoxa fidei Sacerdotes, & Clerici cujuscumque gradus sint, monachi quoque in causis civilibus ex nullius penitus maioris minorisve sententia Judicis commonitoria ad extranea judicia pertrabantur: aut provinciam, aut locum, aut regionem, quam habitant, exire cogantur: sed apud suos Judices ordinarios, id est, provinciarum Rectores, in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministeriis obsecudent, omniumque contra se agentium excipiant actiones.* En cujuscumque gradus Clericos non Imperatoribus modo subiectos, sed etiam provinciarum Rectoribus, qui eorum *Judices ordinarii* pro civilibus causis in hac lege dicuntur.

Justinianus in Novella LXXXIII. *Petiti sumus à Mena Deo amabili Archiepiscopo, reverendissimis Clericis hoc dare privilegium; ut si quis habet adversus eos quamlibet pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellat eum, & ex non scripto iudicium mereatur, &c. Si tamen de criminibus conveniantur, si quidem civilibus, hinc quidem competentes Judices, in Provinciis autem earum Praesides sive Judices habent, non transcendente lite mensurum duorum spatium, quatenus brevis imponatur causa terminus.*

Justinianus Authent. de *Sanct. Episc.* seu Novel. CXXIII. Cap. 8. *Sed neque pro qualibet pecuniaria causa vel criminali Episcopum ad iudicem civilem aut militare, invitum producere aut exhibere citra imperialem iussionem permittimus.* Et Cap. 10. *Interdicimus sanctissimis Episcopis & Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri. Siquis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, & in monasterium redigi.* Et Cap. 20. *Presbyteros aut Diaconos pro criminalibus causis si falsum testimonium dixerint Clero nudatos legitimis subdi pœnnis precipimus: reliquos autem omnes in aliis ecclesiasticis ordinibus constitutos, si falsum testimonium cujuslibet cause dixisse convincantur, non solum Ecclesiastico officio repelli, sed etiam verberibus subdi.*

Ab hac subiectione in criminalibus causis Clericos liberavit sæculo XIII. Fridericus Imperator, ut legitur in ejus Novella: *Statuimus. C. de Episc. & Cler.*

Alia exempla Principum Christianorum.

Aimoin.
pag. 96.

CHilpericus Rex Gallorum sæculo VI. exeunte: *Congregato Concilio Pontificum, in Ecclesia S. Petri Prætextatum Rothomagensis Episcopum maiestatis reum ac de exilio revocatum, in eorum præsentia cum hac accusatione exhibuit, dicens: Quamvis, venerandi Pontifices, regia potestas reum maiestatis legibus condemnare possit: ego tamen hunc vestra audientia repræsentato.* Verba sunt Aimoini Monachi Lib. III. de *Gestis Francorum* Cap. 26.

Apud Al-
tefferram
Lib. I. de
Jurisdic-
Eccles. c.
14. pag.
39. Paris.
1703.

Richardus I. Rex Angliæ & Normaniæ apud Matthæum Westmonasteriensem ad an. 1190. Clericis eam gratiam fecisse memoratur, *ut scilicet nullâ occasione à secularibus Potestatibus caperentur, sicut consueverant, nisi pro homicidio, furto, incendio, vel hujusmodi enormi flagitio.*

Eduardus III. anno 1344. *Cùm Clerus Anglicanus ipsi concessisset*

set decimas triennales, Rex concessit eisdem per chartas suas, quod nullus Archiepiscopus, sive Episcopus sit accusatus coram Justitiariis suis causâ cujuscumque criminis, si ipse specialiter non præceperit. Thomas Walsinghamus in ejus vita apud Camdenum.

Camden.
p. g. 164.
Francof.
1602.

De Gallia ita testatur Guillelmus Benedictus in Cap. Raynutius, de Testamentis, Decif. II. *Cognoscit Rex & ejus officarii de omni crimine privilegiato, ut sunt crimen læsæ maiestatis, falsæ monete, &c.*

De Hispania Julius Clarus Philippi II. apud Mediolanenses Supremus Consiliarius Lib. V. Quæst. XXXV. num. 27. *De factò Principes seculares servant contrarium: quia in hoc crimine, cum agatur de ipsorum vita aut statu, non solent Clericos remittere ad Judices Ecclesiasticos: sed ipsi per suos Judices illos examinari faciunt & torqueri & quandoque etiam suspendi.*

Clarus p.
507. Lugd.
1672.

De Italia Antonius Peregrinus Canonici Juris Doctor apud Patavinus in Responso pro Decretis Reip. Venetæ: *Princeps Venetus à fundatione sua Reip. anno Christi circiter 421. exercuit potestatem hanc judicandi Clericos in Sacris pro criminibus gravibus & atrocibus usque in hæc tempora.*

Peregr. p.
26. Venet.
1606.

Respublica Florentina anno 1478. Archiepiscopum Pisanum & alios, quod duos Medices Reipublicæ Principes occidere in Ecclesia sint conati, eodem die captos & ad Curia fenestras suspensos strangulari jussit. Consulti ea de re Jurisperiti totius Italiae, in his Franciscus Aretinus & Hieronymus Tortus responderunt: Florentinis licitum fuisse Archiepiscopum cum ceteris conjuratis in flagranti crimine comprehensos morti addicere: id quod cum aliis tradit Carolus Molinæus in Libro de *Senatusconsultis Franciæ contra abusum Papparum*, num. 150.

Molinæus.
Tom. IV.
pag. 361
Parif.
1681.

Sic Bernardum Episcopum Apamiensem, quem de se parum honorifice loqui audierat, detineri jussit Philippus Pulcher Rex Gallorum an. 1301. ut ex antiquis Regni monumentis refert Illustrissim. Bossuetus in Breviario Franciæ Historiæ. Sic duos Episcopos Petrocoriensem & Montalbanensem, quod cum Aurelianensi Duce rebelli societatem coisse sunt deprehensi, in custodiam misit Carolus VIII. anno 1486. ut scribit Altesserra Lib. I. Cap. XIII. Sic Hermanum Archiepiscopum Coloniensem maiestatis reum ad politicum tribunal vocavit Carolus V. Imperator, ut narrat Barclaius filius in *Vindiciis Regum* cap. 40. Denique, ut alia omittamus, Respublica Veneta an. 1606. non solum legem tulit, qua prohibebantur Monasteria, & loca pia quæcumque de laicis quidquam bonorum immobilium acquirere absque Principis facultate: sed etiam sacerdotes duos, unum Abbatem, alterum Canonicum, atrocissimorum criminum accusatos & convictos carceri addixit. Cum in has leges Venetorum Paulus V. censuris ecclesiasticis intonasset: nihil his territa Respublica ab incepto haud destitit. Observat autem Illustrissim. Bossuetus in *Defensione Declarationis Gallicanæ* Lib. IV. cap. 12. composita paulo post Gallorum Regis interventu pace inter Pontificem & Rempublicam, constituisse nihilominus Decretum Leonardi Ducis: constituisse leges, quas de temporalibus rebus Senatus edixerat, tametsi ecclesiastica bona personasque concernerent: nihil eorum a Senatu fuisse revocatum: excommunicationem rerum temporalium causam latam, prætextis licet ecclesiasticis immunitatibus, pro nulla habitam, ac revera ut talem per sese cecidisse: nullaque vel in speciem a Senatu venia postulata, aut absolute accepta, pro catholicis atque Ecclesiæ Romanæ filiis eos esse habitos, nullo catholicorum extra Romanam Curiam suscipere conato Pontificis defensionem, sed universo orbe Venetorum constantiam approbante atque laudante.

Bossuet.
Tom. XI.
P. II. pag.
120.

Alt ferra
pag. 35.

Barclai
pag. 710.

Sarpus
Confide-
rat. pag.
17. & 18.

Bossuet.
Tom. I.
pag. 352.

LOCA SCRIPTURARUM

I. Regum XXII. II. *Misit ergo rex ad accercendum Achimelech Sacerdotem. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum Domine. Dixitque ad eum Saul: Quare conjurastis adversum me tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium ut consurgeret adversum me? Respondensque Achimelech regi ait: Absit hoc à me: ne suspicetur rex adversus servum suum rem hujuscemodi in universa domo patris mei.* Ob prætentum conjugationis crimen in ius vocatus Achimelech Sacerdos, primùm servum se regis agnoscit: dein ab eo increpatus non se fori exceptione tuetur, quasi non pertineret ad regem cognitio & punitio criminum Sacerdotalium: sed unam delationis sive accusationis falsitatem pro se allegat, innocentem se ab impacto scelere ostendens.

III. Reg. II. 26. *Abiathar quoque Sacerdoti dixit rex: Vade in Ananoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini. Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini.* Pro conjugatione prius facta cum Adonia, ad huc vivente Davide, Abiatharem Sacerdotem mortis reum declarat, mox exilio multat Salomon initio regni sui, idest, cum ad huc rex esset sanctissimus & sapientissimus. Neque dicas cum Bellarmino Lib. II. de Rom. Pontif. Cap. XXIX. id Salomonem fecisse non jure regio ordinario, sed ob speciale mandatum Dei, qui olim per Prophetam prædixerat futurum, ut Sacerdotium ex domo Heli in aliam transferretur. Quamvis enim id prædixerat Deus Heli Sacerdoti, I. Reg. II. 32. nusquam tamen id exsequendum demandasse legitur specialiter alicui regi, multo minus Salomoni: immo nec modum nec tempus transferendi Sacerdotii ab uno ad alium uspiam designavit. Quod ergo de Abiathare fecit Salomon, jure regio & quidem ordinario fecisse credendus est. Consule Rabardæum Sect. II. num. 7. & audi interim Paulum Sarpium in Considerationibus: *Quod Ecclesiastici secluso privilegio non sint exempti a jurisdictione Magistratum secularium, ostenditur & confirmatur exemplis Veteris Testamenti, ubi videmus, reges omnes etiam sanctissimos & piissimos; ut Davidem, Salomonem, Ezechiam, & Josiam Sacerdotibus imperasse, eorum crimina judicasse & punisse.*

Joan. XIX. 10. *Dicit ei Pilatus: nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de super. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Duplex erat crimen, de quo Jesum accusabant Judæi: & quod prohibuisset tributum dare Cæsari, & quod se regem Judæorum fecisset. Lucæ XXIII. 2. *Eo nomine à Pilato interrogatus, iniquum illum quidem judicem declarat; (damnabat enim Judæorum gratiâ quem innocentem ipse credebatur) sed interea legitimum agnoscit, & cui potestatem judicandi sui Deus dedisset per Cæsarem. Tantum abest, ut Apostolos suos à sæculari jurisdictione in civilibus exemptos velit Christus. Quod ergo ipse fuit voluntate, (oblatus est enim quia ipse voluit) id Apostoli debent esse necessitate. S. Bernardus in Libro de Officio Episcoporum Cap. 9. *Sæcularitatem contemnitis: At secularior nemo Pilato, cui Dominus adstitit judicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset de super.**

Ite

Rabard.
pag. 36.
Sarp. p. 96.

Bernard.
T. I. p. 482.

Ite nunc, & resistite Christi Vicario, cum nec suo adversario Christus restiterit. Aut dicite, si audetis, sui Presulis Deum ordinatione nescire, cum Romani Præsidis potestatem Christus super se quoque fateatur fuisse calitus ordinatam. Hæc Bernardus sane ex Augustino, cujus eadem doctrina est Tractatu in Joannem XV. ut supra in Probationibus primæ Propositionis audivimus.

Actor. XXV. 8. *Paulo rationem reddente: quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. Festus autem volens gratiam prestare Judæis, dixit: vis Jerusalem ascendere, & ibi de his judicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Cæsarem appello.* Numquam, credo, dixisset Paulus, apud Cæsaris tribunal debere se judicari: numquam etiam Romanum Præsidem sibi iniquum animadvertens appellasset Cæsarem, nisi probe intelligeret, nullo se privilegio exemptum esse à potestate Principum & Judicum Romanorum, maxime cum de læsa maiestate ageretur. Estius in hunc locum: *Ratione causæ potuit aliquo modo judicari apud Cæsarem: accusabatur enim Paulus velut seditiosus & plebem commovens contra Cæsarem: cujus rei cognitio ad Cæsarem spectabat.* Adde Sarpium in Considerationibus, & Barclaium in Vindiciis Regum Cap. III. Quæ enim de his locis Novi Testamenti respondet Bellarminus Lib. II. de Rom. Pontif. Cap. 29. meræ nugæ sunt, & Jesuiticis cavillis plena.

Estius pag. 560.

Sarp. pag. 96. & seqq.
Barcl. pag. 183.

II. ad Timoth. II. 3. *Labora sicut bonus miles Christi. Nemo militans implicat se negotiis secularibus.* In Latinis Bibliis est, *nemo militans Deo*, quod à Græcis abest, & re ipsa redundare ex contextu Pauli colligitur, ut post Estium adnotavit Natalis Alexander. Porro *negotia secularia* sunt forentia sive civilia. Tantum ergo abest ut præesse his Apostolos suos jufferit Christus, ut potius ab his curandis Timotheum, atque in Timotheo Romanum ceterosque Episcopos deterreat Paulus: idque exemplo militis Romani, cui per leges non licebat aliqua munera obire, præterquam militaria: ut ex L. *Milites* 13. & ex L. *Nemo miles* 15. C. de re militari observat Grotius. Ex hoc certe loco Apostoli collegere antiqui Patres & Canones, non licere Clericis negotiationem aut mercaturam exercere: non procuratores, aut tutores, au causidicos agere. Itaque Cyprianus Epist. I. alias 66. ad Plebem Furniensem ex disciplina Ecclesiæ Africanæ prohibet sacrificia offerri pro Geminio Victore, eo quod contra Canones ausus fieri Geminium Presbyterum tutorem testamento constituere. *Neque enim, inquit, apud altare Dei meretur nominari, qui ab altari Sacerdotes ac ministros voluit avocare.* Canon VI. ex iis, quos Apostolicos vocant: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, seculares curas non suscipiat: alioquin deponatur.* Canon LXXX. *Diximus non oportere Episcopum vel Presbyterum se ipsum ad publicas administrationes demittere, sed in Ecclesiasticis negotiis versari. Vel ergo ita non facere persuadeatur, vel deponatur: nemo enim potest duobus Dominis servire, secundum Domini præceptum.* Adde Concilium Chalcedonense Can III, & Concilium Parisiense VI. Cap. I. Can. 28.

Concil. T.
I. pag. 26.
& 42.
Concil. T.
IV. pag.
1704.
Concil.
Gall. Tom.
II. p. 504.

Probationes Ecclesiasticæ Antiquitatis.

Ambros.
Tom. II.
pag. 836.

Hieron.
Tom. IV.
P. II. pag.
260.

Athanas.
pag. 296.

Ibid. pag.
307.

Ibid. pag.
311.

Collect.
Justelli T.
I. pag. 154.
Parisi. 1661

Justel.
ibid. pag.
155.

Theodor.
pag. 167.

Cum Valentinianus I. Clericos & Monachos prohiberet à piis mulieribus quidquam donatione vel testamento accipere: audi quo animo hanc legem acceperint Sacri Antistites virique sanctissimi. Ambrosius in Epistula ad Valentinianum II. *Nobis etiam privata successionis alimenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur: non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus.* Hieronymus in Epistula ad Nepotianum. *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, mimi, & auriga, & scorta, hereditates capiunt: solis Clericis ac Monachis hac lege prohibetur: & non prohibetur a persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc legem: & tamen nec sic refranatur avaritia.*

Athanasius Alexandrinus apud Constantium Imperatorem falso accusatus, quod fratrem Constantem in eum concitasset, quodque amicitiam cum Magnentio Tyranno coleret: elegantissimam & bene longam Apologiam sui purgandi causâ ad eundem Constantium scripsit, in qua cum omnes adversariorum criminationes impigre refellat, nullum interim verbum profert de judicii incompetencia. Immo in ipso statim orationis exordio plane significat, obiectorum criminum legitimum Judicem esse Augustum, nec ipsi jus & auctoritatem deesse animadvertendi in Episcopum maiestatis reum. *At res, inquit, secus illis cessit: nequaquam enim pro eorum libidine aurem præbui, sed pro tua animi tolerantia depellenda criminationis copiam fecisti. Quod enim non statim commotus es, nec pœnas expetisti, nihil aliud illud est, quam quod ut æquum decet Imperatorem, viri injuste delati defensionem expectasti.* Rursus num. 19. audi quam demisse de se, quam magnifice autem de Imperatore loquatur vir sanctissimus: *Nequaquam obstiti pietatis tuæ mandato, absit: non tanti quippe sum ego, ut obsistam vel Questori urbis, nedum tanto Imperatori. Et num. 26. Pietatis tuæ mandato minime repugnavi: neque Alexandriam ingredi conabor, donec humanitati tuæ id placuerit.*

Concilium Carthaginense an. 399. celebratum, duos Episcopos Epigonium & Vincentium Legator misit, *ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocumque reatu involutis, legem de gloriosissimis Principibus mereantur, nequis eos audeat abstrahere.* Judicârum ergo Patres Africani, ad Reges & Imperatores spectare jus Asyli concedendi. Vide Gothofredi notas ad L. 2. Cod. Theodol. *de his qui ad Eccles. confug.*

Idem Concilium Can. 59. *Petendum etiam à religiosis Imperatoribus, ut statuere dignentur: ut si qui forte in Ecclesia quamlibet causam jure Apostolico Ecclesiis imposito agere voluerint, & fortasse decisio Clericorum uni parti displicuerit: non liceat Clericum in judicium vocari eum, qui cognitor, vel præsens fuit: ut nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.* En à quibus Clericorum exemptionem & privilegia petenda decernunt Patres Africani: nempe à religiosis Imperatoribus. Vide Vanespenii notas in Canones Africanos, §. VI.

Sanctus Eusebius Samosatensis Episcopus & Martyr apud Theodoretum Lib. IV. Cap. 14. à Valente Imperatore exilio multatus, cum eum populus effusis lacrimis detinere & revocare vellet, *recitavit legem Apostolicam, qua diserte præcipit obediendum esse Magistratibus.* Ergo Imperatori injuste quidem exilium irroganti, sed jure tamen suo utenti parere debet vel Episcopus, idque ex præceptione divina. Au-

Augustinus in Epistula ad Emeritum Donatistam 87. aliàs 164. num. 7. *Terrenæ potestates cum schismaticos persequuntur, eâ regulâ se defendunt, qua dicitur Apostolus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Non enim frustra gladium portat. Dei enim Minister est, vindex in iram ei qui male agit. Tota igitur questio est, utrum nihil mali sit schisma, aut utrum schisma non feceritis, ut pro bono opere potestatibus resistatis, non pro malo unde vobis acquiratis iudicium.* Ergo iudice Augustino, schisma eo præcise quod malum est, ac publicæ pacis christianæ inimicum, punire etiam in Episcopis Reges possunt. Idem mox num. 8. *At enim & malos Christianis non licet persequi. Esto, non liceat: sed numquid hoc potestatibus ad hoc ipsum ordinatis fas est obicere: An Apostolum delebimus? Aut non habent codices vestri quæ paulo ante commemoravi?* Ergo quamvis Ecclesiasticis & privatis non liceat, quia ad hoc auctoritatem non habent, corporalibus pœnis legumque severitate in improbos per sese animadvertere: at id tamen, Augustino iudice, supremis Principibus ad illud ipsum divinitus constitutis per Apostolum licet. Unde paulo post subdit: *Nostri adversus illicitas & privatas vestrorum violentias, à potestatibus ordinatis tuitionem petunt, non qua vos persequantur, sed qua se defendant. Non enim frustra gladium portant, Dei enim ministri sunt, vindices in iram in eos qui male agunt.*

August.
Tom. I.
Part. II.
pag. 211.

Idem Epist. 185. ad Bonifacium, aliàs 50. num. 8. de legibus loquens, quas Christiani Imperatores ad comprimendas Donatistarum Episcoporum & Sacerdotum atrocitates promulgarant, hæc ait: *Quicumque legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande premium. Quicumque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur.*

Ibid. pag.
646.

Rufus num. 19. *Rex aliter Deo servit, quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex est, servit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo.* Et paulo infra: *Quis mente sobrius Regibus dicat: Nolite curare in regno vestro quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus: quibus dici non potest: Non ad vos pertineat in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus?*

Ibid. pag.
650.

Leo Episcopus Bituricensis cum Synodo Andegavensi an. 453. *Tantam sæculi potestates circa Sacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerunt, ut etiam ii, quos sub imperiali nomine terris divina potentia præesse præcepit, jus distringendorum negotiorum Episcopis juxta divalia constituta permiserint.*

Concil.
Gall. T. I.
pag. 119.

Concilium Matisconense I. an. 581. in Gallia celebratum Can. 7. *vetat quidem extra discussionem Episcopi sui Clericum à secularibus iudicibus injuriam pati.* Addit mox tamen: *absque causa criminali, idest, homicidio, furto, aut maleficio: qua exceptione satis innuit, posse sæcularem Magistratum in causa criminali furti, homicidii aut maleficii de Clericis iudicare.* Similiter Concilium Parisiense V. an. 615. cx Decreto Regis Clotarii: *Nullus iudicum de quolibet ordine Clericos de civilibus causis, præter criminalia negotia, per se distringere aut damnare præsumat.*

Concil.
Gall. Tom.
I. pag. 475.

Concilium Francofordiense an. 794. Can. 9. *Definitum est a Domino Rege sive a sancta synodo, ut Petrus Episcopus coram Deo &*

Concil.
Tom. IX.
ange- pag. 103.

angelis ejus juraret, quod ille in mortem Regis sive in regno ejus non conciliaret, nec ei infidelis fuisset.

Gregor.
Tom. II.
pag. 677.

S. Gregorius Papa I. cum ei legem quandam, quæ Sancto Pontifici parum æqua & pia videbatur, ab eo publicandam de more transmississet Mauritius Imperator: hæc ad illum scripsit Lib. III. Epist. 65. alias 62. *Ego quidem jussioni subiectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quæ debui exsolvi, quia & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minime tacui.* Illustrissimus Bossuetus Lib. II. Cap. 8. *Cum intelligeret Gregorius Imperatorem, licet haud satis recte, suo tamen jure usum legem tullisse animarum utilitati parum congruam, quippe quæ conversos milites à Monasteriis abstraheret: monebat, flebat, orabat, parebat interim, ac legem ad alios jussus trans mittebat.* Quod ipsum ante Bossuetum adnotavit quoque Joannes Barclaius Cap. III. §. 17.

Bossuet.
Tom. I.
pag. 208.

Barcl. pag.
220.

Baluz.
Tom. II.
Capitul.
pag. 901.

Adalberon Remensis Archiepiscopus citatus à CL. Bignonio in Notis ad Formulas Marculfi ex editione Baluzii: *Perfidia ac infidelitatis crimine in regiam maiestatem arguor detineri, eo quod gradus Ecclesiasticos nepoti meo contulerim absque licentia & auctoritate Senioris mei, &c.* Seniores vocat Regem, sine cujus adsensu Clericos non ordinari mos erat, ut Bignonius observat.

Ibid. Tom.
I. pag. 725.

Carolus Magnus in Capitularibus: *De liberis hominibus qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent. Hoc ideo quia audivimus quosdam ex illis non tam causa devotionis hoc fecisse, quam pro exercitu seu alia functione regali fugienda.*

Concil.
Gall. Tom.
I. pag. 179.

Concilium Aurelianense I. Can. 5. *De oblationibus vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesiis suo numere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo inspirante contulerit, ipsorum agrorum vel Clericorum immunitate concessa, &c.* En itaque fons Ecclesiasticæ exemptionis: nempe pia liberalitas Regum, qui Ecclesias ejusque Miuitros agris simul & libertate donabant.

Hincmar.
pag. 318.
& 327.

Eundem fontem Ecclesiasticæ immunitatis esse docet Hincmarus Remensis Opusc. XXIX. ubi ex Cod. Theod. *de Episcopis* plurimas Leges ad id probandum adducit. *Novum est quod nunc factum est, ut Episcopus cum sua Ecclesia proscriptionis titulo ab ullo religioso principe laicorum judicio fuerit confiscatus, postquam Constantinus Magnus Imperator legem universis Clericis dedit dicens &c.* Et infra: *Quia Christiani ac religiosi principes, sicut & supra ostendimus, Ecclesia Clericos ad judicia publica trahi vel invitari noluerunt vel permiserunt, in Edicto Honorii & Theodosii luce clarius manifestatur &c.*

Tot Patrum ac Theologorum agmen claudat insignis locus Haymonis antiquissimi scriptoris apud Gratianum Parte II. *Causa XXIII. Quæst. 5. Sunt quadam enormia flagitia, quæ potius per mundi Judices, quam per Antistites, & Rectores Ecclesiarum vindicantur: sicut cum quis interficit Pontificem Apostolicum, Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum. Hujusmodi reos Reges, & Principes mundi damnant. Ergo non sine causa gladium portant, qui talia scelera dijudicant. Sunt enim maxime constituti propter latrones, homicidas, raptos: ut & illos damnent, & alios suo timore compefcant.*

Confectaria doctrinae praecedentis.

I. **E**X dictis colliges: antiquis Patribus prorsus ignotum fuisse privilegium illud, quo gaudere Clericos jure divino docent hodierni Theologi: cum nullus eorum dubitasse videatur, quin Ecclesiasticorum civilia crimina saecularium Magistratum cognitioni & iudicio subiacerent. II. Non bona fide Valentiniani & Theodosii senioris Legem pro Clericis descripsisse Gratianum Decreti Parte II. Causa XI. Quaest. I. Cap. 5. *Continua.* Nam post illa verba, *habent illi suos Judices, nec quidquam iis publicis est commune cum legibus*: haec altera e vestigio subdit Imperator: *quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet*, quae Gratianus omisit: cum ex illis tamen planissime constet, in causis tantum Ecclesiasticis proprios Judices Clericorum esse Episcopos. Habetur autem Lex illa Theodosii inter Extravagantes Codicis Theodosiani de *Episcopali Iudicio* apud Gothofredum, Tom. VI.

Nullus pro antiquitate & origine immunitatis Ecclesiasticae nobis opponat Decretales illas, quas Romanorum Pontificum nomine a Clemente usque ad Siricium saeculo IX. in Gallias ex Hispania attulit Riculfus Episcopus Moguntinus. Nam ut alias praetermittamus suppositionis notas, multa in illis epistulis continentur, quae cum totidem verbis inveniuntur in Codice Theodosiano, manifestissime probant imposturam Isidori Mercatoris seu alterius cuiuspiam, qui Decretales illas confinxit. De quo legi debent Casimirus Oudinus de *Scriptoribus & Scriptis Ecclesiasticis* ad an. 830. Natalis Alexander Dissert. XXI. saec. I. art. 1. Petrus de Marca Lib. III. de *Concordia Sacerdotii & Imperii* Cap. V. Joannes Gerbais in Libro *de Causis Maioribus* Art. IX. §. 6. Bernardus Vanespenius in Tractatu Historico-Canonico in omnes Canones Parte IV. Cap. I. & qui omnium fusissime ac doctissime hoc argumentum prior tractaverat, David Blondellus in Opere Genevae edito an. 1628. cui titulus est: *Pseudo Isidorus & Turrianus Vapulantes.*

Ordin.
Tom. II.
pag. 46.
Natal.
Tom. III.
pag. 213.
Marca
pag. 141
Gerbais
pag. 224.
Vanesp. T.
II. p. 137.

PROPOSITIO XVI.

Exemptio Clericorum in causis temporalibus non est Juris Divini.

LOCA SCRIPTURARUM.

Joan. XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Lucæ XII. 14. *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos?*

Ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Suffragia Doctorum Catholicorum.

D IDACUS Covarruvias Episcopus Segoviensis in Practicis Quæstionibus Cap. XXXI. *Contraria opinio est, quod Clerici lege divina non sint exempti a jurisdictione seculari, nec item eorum res. Hanc probare & tenere conantur Innocentius, Petrus Ferrariensis, Alciatus, &c. Hanc item multis probat & adserit veram esse Joannes à Medina Tractatu de Restitut. quæst. 15. & potissimum hæc sententia constat ex eo, quod at nulla sit Evangelicæ legis & Novi testamenti lex, quæ Clericos à jurisdictione Principum secularium exemerit.*

Covarruv.
Tom. II.
pag. 632.
Genev.
1725.

Dominicus Sotus Ordinis Prædicatorum in IV. Sentent. dist. 25. quæst. 2. art. 2. *Tertia conclusio. Quod res & bona Clericorum sint à potestate civili libera, non plane constat ex jure divino.*

Sotus pag.
663.

Ludovicus Molina Jesuita de Justitia & Jure Tractatu II. disp. 31. num. 6. *Tametsi Panormitanus & quidam alii adfirment, Clericos quoad personas suas & bona jure divino à laica potestate esse exemptos: nostra tamen conclusio probatur, quoniam nullus est locus, unde id ex jure divino sufficienter colligatur. Citat pro hac sententia Driedonem, Caietanum, Sotum, Victoriam, & Navarrum.*

Molina.
Tom. I.
pag. 84.

Michael Rabardæus in Optato Gallo Sect. II. num. 2. *Sanctus Gregorius Papa I. non ex adulatione, quam nemo jure in Sanctissimi Pontificis vita aut libris deprehendere potest; sed integra mente & Pontificali auctoritate Mauricium Imperatorem admonet: sic illum debere Sacerdotibus dominari, ut debitam illis reverentiam impendat. Quibus verbis comprobatur, Sacerdotes & Clericos in rebus civilibus subiectos esse dominationi, gubernationi, & jurisdictioni Regum & Principum secularium.*

Rabard.
pag. 9.

Petrus Gambacurta ejusdem Societatis Jesu Lib. III. de Immunit. Eccles. Cap. 7. *Mibi primo certum est, immanitatem nostrarum Ecclesiarum non esse a Deo præceptam in Veteri Testamento. Secundo æque certum est nullum esse Christi præceptum de Immunitate Ecclesiarum. Sunt etiam lectu digna, quæ idem tradit ad calcem capituli 16. de consensu Principum ad immunitatem & exemptionem Ecclesiasticam prærequisito.*

Gambacurta pag.
145.

Bernardus Vanespenius Pontificii Juris nostra hæc ætate in Belgio laudatissimus Professor, variis in locis pro certo atque explorato tradit exemptionem Clericorum & ecclesiarum nec à divino, nec ab ecclesiastico jure, sed solum à gratiâ & privilegio Principum secularium vigorem habere.

Ibid. pag.
193.
Vanesp. T.
I. p. 680. &
Tom. III.
pag. 140.

bere. Vide Tract. de Immunitate Bonor. Eccl. Cap. II. & Supplementi Partem III. Tit. III. de Jurisdictione criminali, Cap. I. & II.

Florentius Lecoqus Ordinis Præmonstratensis Theologus in Belgio etiam celeberrimus, in Opere de Jure, Justitia, & Annexis, Tract. III. Cap. III. Sect. I. *Exemptio Ecclesiasticorum in rebus politicis & civilibus, non est ex jure divino. Ratio est: quod Clerici præterquam quod Clerici sunt, sint etiam cives & partes Reipublicæ politica, &c. Et patet ex eo, quod initio nascentis Ecclesiæ, etiam Clerici subiecti fuerunt Principibus secularibus, ut probat Apostolus dicens Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ubi Glossa: cum dicitur, omnis amnia, nullus excipitur. Lege reliqua.*

Lecoq. p. 529. Bruxelles. 1708.

Confectaria Doctrinæ præcedentis.

I. **M** Athæi XVII. 24. *Cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis an ab aliis? Et ille dixit: Ab aliis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ex hoc loco colligit Bellarminus Lib. I. De Clericis Cap. 28. Clericos divino jure immunes esse à pendendis tributis. Verum meliùs alii verba illa, Ergo liberi sunt filii, interpretantur vel de solo Christo æterni Regis filio: ut Hilario & Hieronymo in hunc locum ducibus interpretantur Covarruvias in Practicis Quæstionibus Cap. XXXI. & Benedictus Justinianus Jesuita in Epist. ad Rom. Cap. XIII. vel de Christo simul & ejus familia, iis videlicet, qui vitam & paupertatem plane Apostolicam profitentur: qui cum nihil habeant proprii, nihil mirum, si à tributis liberi vivant. Atque ita locum Evangelii intelligendum docent S. Thomas in II. Sentent. Distinct. 44. quæst. 2. art. 2. & S. Bonaventura ibidem quæst. I. ad 1. quos citat & sequitur Sotus in loco superius a nobis laudato. Conferantur cum superioribus ea, quæ de illo Evangelii loco observat Delbenius de Immunitate Eccles. Cap. I. Sect. II.*

Bellarmin. T. II. pag. 163.
Hilar. pag. 696.
Hieronym. T. IV. P. I. pag. 81.
Covarruv. Tom. II. pag. 632.
Justinian. Tom. I. pag. 328.
Thom T. VI. fol. 146.
Bonavent. Tom. V. pag. 602.
Senens. T. II. p. 778.
Neapol. 1742.

II. Testimonia Augustini Quæst. in Matthæum XXIII. & Hieronymi in Matthæum Cap. XVII. 25. quæ hic nobis opponit Bellarminus: in rem non esse dudum observavit Xistus Senensis in Bibliotheca Sancta Lib. VI. adnotat. 76.

PROTESTATIO.

Siquid Orthodoxæ fidei Christianisve moribus adversum nobis excidit, id serio & ex animo revocamus: omniaque nostra Judicio & Censuræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ libentissime subdimus.

APPENDIX

Denuo adiecta.

AD PROPOSITIONEM II.

Loco Pauli I. ad Timoth. II. 1. (sic enim prior ille numerus emendari debet) addatur alter ex I. Petri II. 13. *Subiecti estote omni humane creaturae propter Deum: sive regi quasi præcellenti, sive ducibus ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

AD PROPOSITIONEM VI.

NEquis forte suspicaretur, falso à nobis adscriptam fuisse Thomæ Aquinati eam doctrinam, quæ Pontifici Romano adtribuit potestatem indirectam in temporalia: locum illum Angelici Præceptoris ex 2. 2. quæst. XII. art. 2. (quem in priori editione tantum indicaveramus) integrum in hac secunda describendum curavimus ad calcem hujus Propositionis. Ut tamen omnis in posterum tollatur occasio dubitandi, simulque intelligant universi, quam verè à nobis in ipso certamine dictum fuerit, vacillaturam fuisse Summorum Principum maiestatem, si Thomæ principia admitterentur: observo I. à tempore Gregorii Papæ VII. in omnes fere Scholas invadere cœpisse inimicam illam Regibus Theologiam, sed antiquioribus sæculis inauditam, quæ docebat, Summis Ecclesiæ Pastoribus auctoritatem esse deponendorum Regum propter hæresim & alia crimina graviora. Unde nihil mirum, quod pro conditione & moribus sæculi XIII. quo floruit, eandem doctrinam amplexus fuerit B. Thomas. Observo II. revera hanc doctrinam tradidisse B. Thomam in loco memorato, id est, in 2. 2. quæst. XII. art. 2. sic enim quærit in ipso articulo: *Utrum Princeps propter apostasiam à fide amittat dominium in subditos, ita quod ei obedire non teneantur.* In corpore autem affirmative respondet his verbis: *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis, qui numquam fidem susceperunt, secundum illud Apostoli, I. Cor. 5. Quid mihi de his qui foris sunt, judicare? Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam corruptionem fidei, &c.* Mox in resp. ad I. *Dicendum quod illo tempore Ecclesia in sui novitate nondum habebat potestatem terrenos principes compescendi: & ideo toleravit fideles Juliano apostata obedire, &c.* Hæc adeo plana sunt, ut nulla interpretatione indigeant, nulla tergiversatione eludi possint; maxime si conferantur cum his, quæ idem S. Thomas docuerat in 2. 2. quæst. X. art. 10. Observo III. huic doctrinæ mordicus adhærere Thomistas insigniores. Qua de re audi Bellarminum Lib. V. de Rom. Pontif. Cap. 5. *Video summo consensu doceri à discipulis S. Thomæ sententiam illam, quæ tribuit Pontifici potestatem in temporalia solum indirecte & consequenter: ut patet ex Petro de Palude,*

Thom. T.
XI. P. II.
fol. 34. col.
2. & 4. Ro-
mæ. 1570.

Bellarmin.
Tom. I.
pag. 438.

ude, Joanne de Turrecremata, Joanne Parisiensi, Thoma Caietano, Francisco Victoria, Dominico à Soto, Bartholomæo Medina, & aliis: quos non est ullo modo credibile, à vestigiis S. Thomæ in tanta re discedere voluisse. Siquis non credat testimonio Jesuitæ Cardinalis, credat faltem testimonio Thomistæ primi subsellii. Is est Dominicus Bannesius, in Salmanticensi Academia Primarius Sacræ Theologiæ Professor: qui in 2. 2. Quæst. XII. art. 2. tertiam conclusionem hanc statuit: *Quando adest evidens notitia criminis, licite possunt subditi (si modo eis vires suppetant) eximere se à potestate suorum Principum ante judicis sententiam declaratoriam.* Et mox: *Conclusionem hanc sequitur Caietanus in hoc articulo, & est communior sententia apud discipulos S. Thomæ.* Confer ex eodem Ordine Dominicum Sotum in IV. Sent. dist. 25. quæst. 2. art. 1. Concl. 5. Xistum Senensem in Biblioth. Sancta Lib. VI. annot. 72. Martinum de Ledesma in Secunda Quartæ qu. 20. art. concl. 8.

Bannes. T.
II. pag.
295.
Duac.
1615.

AD PROPOSITIONEM VIII.

Carolus Magnus in Præfatione Capitularium suorum: *Quapropter placuit nobis vestram rogare sollertiam, ô pastores Ecclesiarum Christi & ductores gregis ejus, ut vigili cura & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, &c.* In quo operis studio sciat certissime sanctitas vestra, nostram vobis cooperari diligentiam. *Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis auctoritate unâ vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua capitula ex Canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus, &c.* Sequuntur è vestigio Capitula CLXII. ab Ansegiso Abbate collecta, quæ maximâ ex parte ad ecclesiasticæ disciplinæ instaurationem & reformationem spectant.

Capitul.
Tom. I.
pag. 703.

Concilium Carthaginense an. 399. sub Arcadio & Honorio celebratum, ut legitur in Codice Canonum Africanorum ab Justello edito, Canone LX. ite statuit: *Illud etiam petendum à religiosis Imperatoribus, ut quæ contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt: vetari talia iubeant, &c.* Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exercent: ut matronalis honor, & feminarum pudor devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur, &c. Idem Can. LXI. Necnon & illud petendum, ut spectacula theatrorum ceterorumque ludorum die Dominica, vel ceteris Christianæ religionis diebus celeberrimis amoveantur, &c. Hinc meridiana luce fit clarius, ex sententia Patrum Africanorum Regibus summisque Principibus Christianis jus & auctoritatem competere providendi & prohibendi, nequid occasione etiam religionis in Republica admittatur Christianis moribus dissonum.

Collect.
Justel. pag.
dag. 155.

Id vero est, quod scribit Augustinus in Epistula ad Bonifacium: *Serviant reges Christo, leges ferendo pro Christo.* Confer Hincmarum Remensem in Opusculo I. Cap. 16.

Gestor. T.
III. p. 92.

AD PROPOSITIONEM IX.

A Nonymus Auctor Notarum, quæ Libris Alteserræ de Jurisdictione Ecclesiastica præmittuntur in editione Parisiensi de anno 1703. pag. 10. *Clerici vix debent ad forum laicum recurrere: sed cum Judices Ecclesiastici suâ abutuntur jurisdictione, recursus ad Curias Parlamenti debet censeri remedium ordinarium.*

Aug. Tom.
VIII. P.
II. pag.
258.

S. Augustinus Lib. II. contra Litteras Petiliani Episcopi Donatistæ, Cap. 58. *Si in adjutorium vestrum etiam terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cum adversus injuriosos civem Romanum se esse testatus est.*

AD PROPOSITIONEM X.

S Leo III. Romanus Pontifex Ludovico Imperatori an. 815. *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus: vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio.* Apud Gratianum P. II. Causa II. Quæst. VII. Cap. 41. Confer Baluzium in Pæfatione Capitularium,

AD PROPOSITIONEM XI.

QUAM sacrosanctæ sint Regum personæ, quàm à nullo etiam pretextu religionis violandæ, præter Scriptores à nobis suo loco commemoratos, egregie ac data opera ex Sacris Litteris, & antiquis Patribus ostendit superiori sæculo Anonymus Anglus in toto Libro Londini edito an. 1649. cui titulum fecit, *Defensio Regia pro Carolo I. ad Serenissimum Magnæ Britannia Regem Carolum II. præsertim Cap. III. & IV. id est, à pagina 109. usque ad paginam 210.*

Concil.
Britan. T.
I. pag. 148.

Concilium Chalchutense in Anglia an. 785. Can. 12. *In necem regis nemo communicare audeat, quia Christus Domini est: & si quis tali sceleri adhaerit, si Episcopus est aut ullus de sacerdotali gradu, ex ipso detrudatur, & à sancta hereditate deiciatur, sicut Judas ab Apostolico gradu eiectus est. Et omnis quisquis talis sacrilegio adsenserit, aeterno anathematis vinculo interibit, & Judæ traditori sociatus sempiternis cremabitur incendiis.*

AD PROPOSITIONEM XIV.

Gerfon. T.
III, p. 92.

JOANNES Gerson in Regulis Moralibus, Tit. de Avaritia, num. 78. *Omnia sunt Principis, non quidem proprietario jure nec pro se, sed pro necessitate Reipublicæ. Et quid mirum? cum necessitas faciat personæ etiam singulari aliena esse sua.*

Ibid, p. 93.

Idem num. 87. *Solutio Decimarum Sacerdotibus, est de jure divino, quatenus inde sustententur: sed quotam hanc vel illam adsignare, positivi juris existit.* Eadem doctrina est S. Thomæ in 2. 2. qu. 87. art. 1.

AD

AD PROPOSITIONEM XV.

Formulam immunitatis à Regibus concessæ agris Ecclesiæ sæculo IX. describunt Marculfus Lib. I. Cap. 3. & Floroardus Lib. II. Histor. Remens. Cap. 11. Observat autem Illustris Bignonius, hanc immunitatem, seu ut tunc loquebantur, emunitatem à Regibus datam, eandem esse, quam hodie *amortizationem* vocant homines de foro.

Capitul.
Tom. II.
pag. 376.

Ejus rei insigne exemplum nobis præbuit Ludovicus Pius Imperator & Galliæ Rex, dum in Capitularibus Aquisgranensibus anno 816. Cap. 10. ita constituit: *Statutum est, ut unicuique Ecclesiæ unus Mansus integer absque ullo servitio attribuat, & Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de prescripto Manso aliquod servitium faciant, præter Ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.*

Capitul.T.
I. pag. 565.

Idem immunitatis privilegium confirmavit postea Imperator Carolus Calvus in Capitularibus apud Tusiæ constitutis anno 865. Tit. 37. Cap. 11.

Ibid.Tom.
II. p. 192.

In his vero aliisque Decretis nomine *Mansi* significabatur ea agri portio, quæ Ecclesiis in dotem assignari solebat, ut cum Sirmondo in Notis ad Capitularia Caroli Calvi observavit Ducangius in Glossario.

Goffridus Vindocinensis Abbas sæculo XI. *Habeat Ecclesia suam libertatem: sed summopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem; & dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur.*

Die XV. Novembris, anno MDCCLXV. cum jam matutinum certamen ineundum esset, sequentem orationem à Magistro compositam discipulus habuit, præsentem frequentissimo cætu Theologorum, Senatorum, & Procerum.

AD PROPHETIAM III

[Faint, illegible text in a columnar layout, possibly a list or index. The text is too blurry to transcribe accurately.]

AD PROPHETIAM XIV

[Faint, illegible text in a columnar layout, possibly a list or index. The text is too blurry to transcribe accurately.]

ORATIO.

INSITUS Lusitanis pectoribus amor in Reges suos omnes, potissimum vero in Josephum I. Regem nostrum optimum atque amabilissimum; me hodierna die ad ejus generis certamen ineundum compulit, quo sicut nullum gloriosius, ita nullum fuit ad hæc usque tempora difficilius. Quid enim gloriosius mihi possit accidere, quam Regiam dignitatem a Deo institutam, a Christo Domino commendatam, ab Apostolis eorumque successoribus honorari jussam tueri? Quid item difficilius, quam dissidium inter Sacerdotium & Imperium ab annis fere septingentis durans componere? Summa utrinque difficultas, summum discrimen ante oculos obversatur. Horret animus, dum hinc tot Bullis Pontificiis, hinc tot Christianorum Principum legibus quasi telis obrui se videt. Nullus certe in Ecclesia fuit, qui Gregorii VII. in Henricum IV. nullus qui Gregorii IX. in Fredericum II. minaces Litteras non expaverit. Contra Philippus Pulcher Gallorum Rex fortissimus & constantissimus, a Bonifacio VIII. non tam Bullis vexatus, quam injuriis lacesitus, optimorum Theologorum consiliis usus, sæculo XIV. ineunte liquido demonstravit, quam non timendæ forent Vaticanæ diræ atque imprecationes, quando earum rerum causâ proferuntur, quæ ad Romanos Pontifices nihil spectant. Quo etiam exemplo scimus, nullo loco habita a Venetis superiori sæculo fuisse Pauli V. horrenda Monitoria: idque toto orbe Christiano plaudente, nulloque extra Romanam Curiam Pontificis causam orare auso. In his igitur angustiis constituti, ubi vel Curialium Romanorum deserendæ partes sunt, vel Regum maiestas violanda: nullam nos componendæ pacis evitandique periculi expeditiorem viam adgredi possumus, quam si de utriusque potestatis finibus traditionem Veteris Ecclesiæ exploremus. Est enim in confesso apud omnes Catholicos id, quod Tertullianus scribit: Verum esse quodcumque prius, falsum quodcumque posterius. Ubi igitur plane constiterit, ex Apostolorum sensu duas a Deo constitutas esse pro regendis hominibus potestates, actibus & officiis ita distinctas, ut unaquæque in suo genere sit suprema & ab altera independens: necessario argumento conficiemus, reges in temporalibus nullum superiorem agnoscere: penes solos illos ex divina institutione jus & exercitium materialis gladii residere: ipsorum esse de bello, de pace, de fœderibus, de tributis, deque rebus omnibus ad civilem societatem spectantibus summo impe-

imperio decernere: in iis propterea sæculari potestati æque esse obnoxios Sacerdotes ac laicos, æque Episcopos ac minores Clericos: denique ab Apostolica simplicitate nimium descivisse, quotquot è Romanis Pontificibus Gregorii VII. exempla secuti auctoritatem sibi deponendorum Regum usurpavere: cum illis ea sola cura a Christo demandata sit, ut commissum sibi gregem de iis, quæ ad fidem, ad sacramenta, ad Ecclesiasticas ceremonias & ritus pertinent, diligenter pacificeque edoceant: nullo alio pænnarum sive coercionis genere utentes, quam quod in Ecclesiastica censura consistit. Itaque non recentiorum Pontificum Bullis, non Regum hodiernorum exemplis pugnabo: una traditio Veteris Ecclesiæ ex Conciliorum gestis sanctorumque Patrum operibus collecta rem decidet. Neque alios pro jure Regum testes adducan, quam Tertullianos, Irenæos, Athanasios, Ambrosios, Chrysostomos, Augustinos, Patres Ephesinos, Chalcedonenses, Gallos, Hispanos, Afros, & qui licet his sit multo recentior, ad veteris tamen Theologiæ normam scripta sua omnia exegit, Bernardum Claravallensem. Ex quibus Tertullianus ob antiquitatem, Augustinus ob doctrinæ præstantiam tanta pollent apud omnes auctoritate; ut etiam si alii deessent, duo hi satis esse firmandis Regum juribus viderentur.

Dixi.

ERRATA INSIGNIORA

hoc modo sunt corrigenda.

- P** Ag. 2. versu 31. *Concilium Parisiense anno 729.* lege, *Concilium Parisiense anno 829.*
- Pag. 7. in margine. *Apud Goldastum T. III. L. Apud Goldastum T. III. pag. 691.*
- Pag. 20. versu 7. *Ait Pero Jesus.* L. *Ait Petro Jesus.*
- Pag. 26. versu 33. *Nam sive aegeatur pax,* L. *Nam sive augeatur pax.*
- Pag. 40. versu 34. *doctissimus juxtâ ac & modestissimus.* L. *doctissimus juxtâ ac modestissimus.*
- Pag. 48. versu 28. *unde plane addices.* L. *unde plane addisces.*
- Pag. 65. versu 32. *ut ex L. Milites 13. & ex L. Nemo miles 15.* lege, *ut ex L. Milites 15. & ex L. Nemo miles 13.*
- Pag. 73. versu 14. *qu. 20. art. concl. 8.* L. *qu. 20. art. 4. concl. 8.*

ERRATA IN SIGNIORA

hoc modo sunt corrigenda.

Pag. 1. verba 21. Concilium Parisiensis anno 759. lege, Concilium
 Parisiensis anno 829.
 Pag. 7. in margine ad hunc Gallicanum T. III. l. 1. ad Gallicanum T. III.
 non pag. 101.
 Pag. 20. verba 7. An Petro Jesus. l. 1. An Petro Jesus.
 Pag. 20. verba 23. Nam sine negotio per, l. 1. Nam sine negotio per.
 Pag. 40. verba 23. debet hunc iuris ad C. inchoatorem. l. debet hunc
 iuris ad inchoatorem.
 Pag. 48. verba 23. unde plane videtur. l. unde plane videtur.
 Pag. 67. verba 23. et ex l. Militis 17. C. ex l. Nemo miles 17. lege,
 et ex l. Militis 17. C. ex l. Nemo miles 17.
 Pag. 73. verba 14. qu. 20. art. 2. l. qu. 20. art. 4. conch. 8.

ad hoc f. er